S-10-51. d. 5
B
A922f
188

Minetti D. Federico

1885

188

LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS

FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

LEARNING AND LABOR

B
A922f

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://archive.org/details/justifontaniniar00font

JUSTI · FONTANINI
ARCHIEPISCOPI . ANCYRANI
DE
CORPORE
SANCTI · AUGUSTINI
HIPPONENSIS · EPISCOPI
ET
ECCLESIÆ . DOCTORIS
TICINI . REPERTO
In Confeſſione ædis ſancti Petri
in Cœlo aureo
DISQUISITIO

Ubi antiqua Eccleſiæ diſciplina, in tumulando corpore sancti Auguſtini ſervata, ex poſtrema ejus inventione explicatur: quam etiam ſummorum Pontificum diplomata, Præſulum Ticinenſium acta, veterum tabularum atque hiſtoricorum fides cumulate confirmant.

ROMÆ. MDCCXXVIII

Ex Typographia Rochi Bernabò in vico ad Muratas
SUPERIORUM FACULTATE

B
A922f

SANCTISSIMO

IN CHRISTO PATRI ET DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII

PONT. MAX

J. ARCHIEPISCOPUS. ANCYRANUS

DUm *ex itinere Beneventano in Urbem redux a me accepiſti*, BEATISSIME PATER, *corpus ſancti Auguſtini poſt ſæculorum memoriam detectum in Ticinen-*

R9 Je34

718334

cinenſi Baſilica sancti Petri in Cælo aureo, ubi quinque & ſexaginta ſupra nongentos annos magna omnium veneratione ſemper quieverat, ſummo te gaudio affectum ob tantæ rei nuncium manifeſtaſti. Sed mox animus tuus, a religione compoſitus, graviter tulit, tantum theſaurum, antiqui ſanctorum hoſtis & diſcordiarum parentis invidia, defoſſum, hoc eſt in forenſes quaſdam, & ab omni ſacrorum rituum, ac veteris eccleſiæ diſciplinæ ſcientia abhorrentes quæſtiones conjectum, quodque piæ aures audire detrectant, publici honoris expertem & plurium annorum ſilentio obrutum. Tum recitatis quæ tuæ memoriæ inhæſerant, hiſtoriæ eccleſiaſticæ teſtimoniis, Auguſtiniani corporis translationem narrantibus, pro ſumma etiam auctoritate, qua toti Eccleſiæ præes, juſſiſti, Epiſcopum Ticinenſem

pro

pro jure ſuo quamprimum concertationi finem imponere, ne præſtantiſſimi Eccleſiæ Doctoris exuviæ debita Chriſtifidelium honorificentia diutius fraudarentur. Ad hæc te quoque pro tua in me voluntate cupere non obſcure oſtendiſti, ut ego, ſola veritate inſpecta, rem totam ſcripto complecterer: quod, licet in edendo Codice conſtitutionum per deceſſores tuos Romanos pontifices, perque te ipſum in Dei ſervis Sanctorum canoni ſolemni cæremonia adſcribendis, hactenus editarum, tuo juſſu occupatus, hac Diſquiſitione, ad regulas Patrum, ideſt Eccleſiæ, non curiæ, nec fori, abſolvere ſtudui. Religioſas enim aures ſummi Pontificis non decet audire forenſes diſputationes & pugnas verborum, quæ magis ad ſubverſionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis, *ut verbis utar, quibus ſanctus* De Conſid. lib. I. cap. x.

Ber-

Bernardus Eugenium III. alloquebatur. Hanc vero lucubratiunculam, ad Dei gloriam per me ſuſceptam, inque honorem beati Auguſtini, qui non certe privatus quiſpiam Doctor, ſed maximus poſt Apoſtolos eccleſiarum inſtructor *a venerabili Petro Cluniacenſi, ad eundem Bernardum ſcribente, dici meruit, ſi judicium tuum (quod unice opto) ſuſtinere contigerit, omne punctum me tuliſſe non dubitabo. Eo argumentorum & rerum ordine illam conſcripſi, quem veritati, ex plurimis ac ſumme faſtidioſis ambagibus exſtricandæ aptum putavi. Sed tuum eſt,* BEATISSIME PATER, *de hac re ſupremum, ubi opus fuerit, judicium ferre, & ſimul ſancire, utrum pignus magni Doctoris, in mauſoleo Confeſſionis Baſilicæ sancti Petri in Cælo aureo, ubi ſemper honore præcipuo cultum jacuit, omnium tandem proborum*

Epiſt. CCXXIX. §. 14. edit. novæ.

rum & ſapientum gaudio repertum, poſt duos & triginta annos, cauſſa paucorum non æquo animo agentium, adhuc inglorium jacere debeat. Tu enim complures Sanctorum pignorum translationes manibus tuis contrectaſti: quodque maximi refert, non ſolum es ſacrorum princeps, ſed & filius Auguſtini, cujus regulam, quam sanctus Dominicus imitandam ſuo ordini Prædicatorum propoſuit, tu a primis adoleſcentiæ annis religioſiſſime profiteris. Tu ergo decerne quo loco Auguſtini corpus habendum ſit. Hoc omnis ordo sancti Auguſtini, hoc univerſa Eccleſia a te, qui Auguſtiniano es nomini devotiſsimus, magnopere flagitat. Quid ſummo Pontifici honorificentius, quam corpus magni Auguſtini, pridem felici caſu repertum, tandem Benedicto XIII. *ſedente priſtino honori ſuo reſtitutum? Hoc Annales*

nales Eccleſiæ, hoc omnes præſentium & poſterorum laudes celebrabunt.

Dabam ex ædibus palatinis in Quirinali die v. Aprilis anno Domini MDCCXXVIII.

LITERÆ
SANCTISSIMI. DOMINI. NOSTRI
PAPÆ. BENEDICTI. XIII

Quæ controverſiam de corpore ſancti *Auguſtini* judicio epiſcopali dirimi jubent.

Venerabili Fratri Epiſcopo Papienſi

BENEDICTUS PAPA. XIII

Venerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

ANimi curas & auctoritatis officium libenter impendimus ad eas cauſſas, quas ad Sanctorum cultum pertinere dignoſcimus, atque adeo cum divino honore eſſe conjunctas. Multo autem alacrius has Apoſtolicæ ſollicitudinis partes ſuſcipere debemus, ubi eas ad beatum Augustinum, clariſsimum Eccleſiæ lumen, eximiumque Doctorem, ſpectare intelligimus; quem nimirum in profitenda Prædicatorum regula parentem, in theologico curriculo ducem, in paſtorali miniſterio cunctiſque vitæ rationibus patronum ſemper coluimus. His igitur, tam impoſiti muneris ſtimulis, quam obſtrictæ pietatis ſtudio adducti, operam conferre decrevimus, ut judicium de invento iſtic ſancti Doctoris corpore, ulteriori dilatione ſublata,

ſecundum Deum & veritatem ad exitum perducatur. Itaque fraternitati tuæ ſedulo injungimus, ut ceteris quæſtionibus de alio corpore inveniendo, remotis, judicium inſtituas de ſolo antedicto corpore, quod anno MDCXCV. iſtic in eccleſia sancti Petri in Cœlo aureo in Confeſsione, inventum eſſe tradunt documenta, quæ in acta curiæ iſtius epiſcopalis relata ſunt. Volumus proinde & mandamus, ut cavillationibus eorum, qui deciſionem ac definitionem hujuſce cauſſæ impedire tentaverint, etiam per cenſuras eccleſiaſticas occurras. Illis autem, a quibus cauſſa cognoſcenda erit, iiſdem adhibitis, ſi opus fuerit, remediis, edicas, ut nullis officiis, commendationibus, aut partium ſtudiis obſequantur, ſed ſolum Deum veritatis præ oculis habeant. Ne autem novis procraſtinationibus locus eſſe poſsit, bimeſtre tempus huic judicio conficiendo præfigimus. Quod ſi intra duos menſes a die, qua fraternitati tuæ traditæ fuerint hæ noſtræ in forma Brevis literæ, cauſſa abſoluta non ſit, eandem ad Nos exinde devolutam fore declaramus. De tua igitur in hanc ſanctam Sedem, Noſque ipſos perſpecta obedientia præclare ſentientes, veritate, quam unice quærendam, declarandamque præcipimus, ad liquidum perducta, finem controverſiæ impoſitum iri non dubitamus: ac tibi, venerabilis frater, Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romæ apud sanctum Petrum die XXIII. Januarii anno MDCCXXVIII.

C. Archiepiſcopus Emiſſenus.

PRÆ-

PRÆFATIO

I

SEx & mille anni jam effluxerunt, ex quo beati *Auguſtini* corpus a Liutprando Rege Langobardorum magna auri vi in Sardinia redemtum, *Confeſſioni* Baſilicæ Ticinenſis ſancti Petri in Cœlo aureo illatum fuit, ubi ſemper ab A. D. 722. ad A. D. 1695. quievit, pietatis cauſſa illuc undique concurrentibus Chriſtifidelibus, donec in lateritio mauſoleo, ſurſum erecto, ſub quo tanto ante ſacrum pignus depoſitum fuerat, poſtremo repertum eſt. Sed invidia, ex ſacri theſauri detectione, malo ſpiritu auctore excitata, rei veritatem permultis ex licentia abſurde opinandi ortis dubitationibus obſcurare tentavit, pro una confictis pluribus, interque ſe pugnantibus ejus translationibus; ſiquidem *hæc eſt mendaciorum natura, ut cohærere non poſſint*, inquit Lactantius libro v. divinarum Inſtitutionum cap. 11I. Nos autem eas omnes hac Diſquiſitione ad vera ſua principia redigentes, non fruſtra, ut putamus, diſſipare conati ſumus. Veterem

enim Eccleſiæ diſciplinam in tumulandis corporibus Sanctorum, ubique gentium vere Chriſtianarum ſervatam, & jamdudum fortaſſe oblivioni traditam, explicantes, atque ad *Auguſtini* loculum ſepulcralem, tanquam ad lydium lapidem, conferentes, univerſa, quæ ſimul cum ſacris ejus exuviis reperta fuerunt, ſanctioribus Eccleſiæ ritibus undequaque congruere animadvertimus, adeout ex uno hoc capite earundem Reliquiarum veritas facillime deducatur.

II

Itaque initio ducto a priori translatione ſub Traſamundo Rege Vandalorum ex Africa in Sardiniam facta exeunte ſæculo v. mox alterius translationis epocha ex Sardinia in Italiam ſtabilitur A. D. 722. *Confeſſione* in æde sancti Petri in Cœlo aureo pro iiſdem exuviis recipiendis Liutprandi juſſu conſtructa, unde nunquam ante A. D. 1695. *Auguſtinianum* theſaurum, præter pauculas ejus particulas poſt immutatam de non tangendis & evellendis Sanctorum Reliquiis eccleſiæ diſciplinam, extractum fuiſſe, neceſſariis rationibus uberrime patefacimus, oſtendentes, primævum ac paſſim florentem Eccleſiæ morem in eo deponendo, tum quoad locum, tum quoad modum, accurate ſervatum. Propterea in *Con-*

ſeſ-

feſſione, quam æri inciſam damus, penes altare, ſub mauſoleo lateritio in arca trigemina, *marmorea* nimirum, *argentea*, quæ Baſilicæ & civitatis *patronum* deceret, ac tandem in *plumbea* penſiculate examinandis, nobis eſt ſermo. Subinde in *velo*, ſacris oſſibus advoluto, inque *vitreis* ſeu cryſtallinis *phialis*, vacuis quidem, ſed primitus *oleo* plenis, haud perfunctorie enarrandis, operam impendimus. His tamen phialis & vaſis nihil eſt cum illis, quæ in urbanis veterum Chriſtianorum arenariis reperiri ſolita, perdocto commentario illuſtravit vir ſenatorii ordinis, noſtrique amantiſſimus, Philippus Bonarotius. Poſtremo per ſingula ſæcula euntes, ex peculiaribus ſummorum Pontificum epiſtolis, ac Ticinenſium præſulum tabulis, quas uſque ad patrum ætatem æqualium ſcriptorum auctoritas munit, *Auguſtiniani* corporis, in præcipuo *Confeſſionis* loco inter *aram* & *puteum* depoſiti, veritatem chronologico ordine aperimus, paſſim inſertis domeſticorum atque exſterorum teſtium vocibus, quæ *Auguſtinianum* theſaurum contra nova commenta plane tueantur. Ex his peregregiis monumentis non pauca, & ſane præcipua, nobis adverſæ partis ſcripta edita ſubminiſtrarunt, & cum primis Bullarium atque Hiſtoria Canonicorum Lateranenſium,

qui

qui contra votum, eadem ab ſe interius non animadverſa, Deo dante & veritate impellente, vulgarunt. Quare in hæc optime quadrat præclarum dictum ſancti Iſidori Peluſiotæ in epiſtola CCXXVIII. libri II. *grave teſtimonium, quod ab hoſtibus ſumitur*. Non tamen præſentes, ſed præteritos tantum hoc nomine cenſeri optamus, quippe quos nunc extinctis fortaſſe majorum non ſanis affectibus, veritati in maximo lumine collocatæ, jam tandem, ut ſacros & candidos viros decet, manus daturos ſperamus. Hi, quorum intereſt, parcant mihi, ſi in re maximi ponderis libere, ideſt candide, loquor; non enim ſervire auribus meum eſt. Qui ſerviant, non deſunt. Audiant ergo quod mihi dicendum eſt. Impiis in ſacras Reliquias & earum cultum irruentibus, inter nos quoque illarum veritati fucoſis, unaque cavillandi & contradicendi libidine excogitatis rationibus adverſari, ſumme dedecuit. Sola veritate inſpecta, ſobrie & verecunde quæcunque dicenda erant (non tamen levia & manifeſte falſa) dici debuiſſent.

III

Ceterùm ſanctiſſimi eccleſiæ Patres in vindicandis nuper detectis Sanctorum Reliquiis unum tantum requirere conſueverunt, illorum ſcilicet teſtimonium, qui *ſeniores* in clero

clero eſſent. De sancto Martino Turonenſi Epiſcopo Sulpicius Severus in ejus Vita cap. VIII. id teſtatur his verbis: *ab his, qui* MAJORES NATU, *presbyteris, vel clericis, flagitabat*. In celeberrima inventione corporum sanctorum Gervaſii & Protaſii teſtimonium *ſenum* magni fecit Ambroſius: *nunc* SENES *repetunt* AUDISSE *ſe*, ait ille epiſtola XXII. tomo II. operum pag. 877. §. XII. editionis novæ. Gregorius Magnus epiſtola XXXI. libri IX. ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum ſcribit, ne prius *Xyſti* cujuſdam Reliquias populorum venerationi ſubducat, quam exploratum habeat, eas ad martyrem vindicatum non pertinere. Id autem ſummus Chriſti Vicarius probari docet hac regula, auro & cedro digniſſima: *quatenus neque aliqui de* ANTIQUIORIBUS *exſiſtunt, qui ſe a* PARENTIBUS, *paſſionis ejus* (Xyſti) *ordinem* AUDISSE *fateantur*. Id ipſum vir sanctiſſimus Carolus Borromæus in Synodo provinciali IV. Actuum eccleſiæ Mediolanenſis tomo I. parte I. pag. 115. editionis anni 1599. in Reliquiarum recognitione obſervandum conſtituit: *teſtes præterea, ſiqui ſunt, qui teſtimonium dent* ANTIQUÆ, *conſtantiſque traditionis, ex qua certa earum cognitio conſtet*. Ticini permagna diligentia a miniſtris epiſcopalibus in recenſendis *Auguſtini* Reliquiis hoc pariter factum

ctum eſt, ex utroque clero & populo *vetuſtioribus* uno conſenſu acceptum a majoribus ſuis teſtimonium dantibus de ſacris *Auguſtini* oſſibus ibidem loci, ubi reperta fuerunt, ſemper cultis, ſemperque ſervatis. In id etiam unanimes complurium Theologorum ſententiæ ad ſtatuta Concilii Tridentini coiverunt. Hoc tamen, quod rei vindicandæ ſatis ſuperque eſſe poterat, mihi nondum fuit ſatis. Ex remotiori enim antiquitate ſpiſſas, conſtanteſque omnis generis, ni fallor, ſolidiſſimas probationes, uno tenore diſpoſitas, & quaſi inter ſe catenatas, ad rem tantam omni ſui parte illuſtrandam, advocare placuit. Apud Dionyſium Halicarnaſſeum libro II. Antiquitatum Romanarum cap. XIV. pag. 85. editionis Oxonienſis, lex Romuli ſtatuit, *ut quod plurium ſententiis adprobatum fuiſſet, id vinceret*. Huc referendum eximii Canarienſis Epiſcopi Melchioris Cani poſtulatum, pro primo principio recipiendum, in Locis theologicis lib. XI. cap. IV. *ſi omnes probati ac graves hiſtorici in eandem rem geſtam concurrant, tunc ex horum auctoritate* CERTUM *argumentum promitur*. Scitum huic perſimile eſt illud Petri Danielis Huetii Abrincenſis Epiſcopi in Demonſtratione evangelica pag. 11. edit. I. *omnis hiſtoria eſt* VERAX, *quæ res geſtas ita narrat, uti narrantur in multis*

libris

libris coetaneis vel ætati proximis, *qua res geſtæ ſunt*. Nos probatiſsimæ hujus regulæ ductu *Auguſtinianum* theſaurum tutati ſumus, in quem propterea nemo ſanus impoſterum irruet, qui in ipſa axiomata & prima principia, ab omnibus recepta, non irruat: quod profecto neminem rationis compotem decet.

IV

Hoc loco ſuccurrit ſanctus Norbertus Magdeburgenſis in Saxonia inferiori Archiepiſcopus & Canonicorum regularium Præmonſtratenſium inſtitutor, cujus dormitio incidit in diem vi. Junii A. D. 1134. Hujus corpus in choro ædis Deiparæ Magdeburgi ſub altari ſanctæ Crucis effoſſum, Pragam ſolemni cæremonia tranſvectum eſt A. D. 1627. ope conterranei noſtri, viri ſtrenui & juxta pii, Rudolfi a Sbrojavacca, qui, militiæ Cæſarianæ tribunus & Hallenſi arci præfectus, illud ab heterodoxo Senatu Magdeburgenſi impetravit juſſu Ferdinandi II. Auguſti, cujus imperium civitates illarum partium ſubierant. Sinceram atque omnibus numeris abſolutam hiſtoriam, cujus veritati nihil deeſt, accurate expoſuerunt Hagiologi Bollandiani tomo 1. Junii pag. 871. At nihilominus A. D. 1683. prodiit Philippus Mullerus Jenenſis Academiæ doctor, æque ac nos, ut de ſe ait, ſan-

ctarum Reliquiarum cultor , qui omnia in dubium vocans, Norberti Reliquias in alia Baſilicæ parte deliteſcere proclamaret. Mulleri tamen commenta copioſe refutavit amicus olim noſter Conradus Janningus in Actis Bollandianis Sanctorum menſis Julii tomo VI. Parte I. pag. 30. Quorſum vero hæc? Eo nempe, ut ſimiliter in eundem cenſum apocryphorum omnino referas quæcunque ad obruendam Reliquiarum *Auguſtini* veritatem, prorſus levia, & aperte falſa, dudum audacter ſcripta & typis edita apparuerunt. Quare nobiliſsimæ Ticinenſium civitati, immo univerſæ Italiæ & Eccleſiæ, nedum *Auguſtiniano* ordini, cui merito præeſt pietatis & doctrinæ laude ſpectatiſſimus, Pater *Fulgentius Bellellus*, lætandum eſt maxime ob tanti Doctoris theſaurum in Baſilica (propterea ſumme celebri) sancti *Petri in Cœlo aureo* tamdiu fideliſsime cuſtoditum. Hæc vero dum prela ſubeunt, intelligo ex literis ornatiſsimi Senatoris Bonarotii, a me ſuperius memorati, Florentiæ quoque ſtetiſſe ædiculam sancti *Petri in Cœlo aureo*, quæ jamdudum eccleſiæ principi coaluerit. Ferdinandus Leopoldus Meliorius in Florentia illuſtrata pag. 64. ejuſdem ævi ac Ticinenſem, & quondam ei vectigalem facit. Adi Vincentium Borghinium in Diſſertatione de Eccleſia Florentina pag. 398. Im-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

CENSORUM

ADPROBATIONES

I.

ANimadverſiones in primis ſolidas, & hiſtoricæ demonſtrationis vim obtinentes ad veritatem aſſerendam Corporis beati Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, ex Inſula Sardinia ſub Liutprando Rege Ticinum translati intra Confeſſionem inferioris Eccleſiæ S. Petri, ad Cœlum Aureum dictæ, & anno 1695. ibidem detecti, utpote petitas non à quiſquiliis forenſium rabularum, ſed à ſanctioribus regulis Patrum, ſacrorum rituum, ac diſciplinæ, ab Eccleſia Catholica cuſtoditæ, eaſque collectas maturo conſilio, & ſtylo argumenti gravitati planè reſpondente doctiſſimè expoſitas per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Archiepiſcopum Ancyranum, eo lubentiùs perlegi, mandante Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, quo ſtudioſiùs acceſſeram ab itinere Mediolanenſi redux anno 1698. ad ſancti Eccleſiæ Doctoris Reliquias ibidem venerandas. Eodem gaudio, quod ipſe percepi, perfuſum iri non dubito lectorem *Diſquiſitionis*, juſti criterii fontes præcipuos aperientis ad ſcitè decernendum de hujuſmodi cauſis. Quare typis ut quantocyùs edatur, non modò permittendum, ſed etiam jubendum & curandum per ejuſmodi poteſtatis arbitros, è re Chriſtiana eſſe cenſeo.

Dabam ex ædibus ſub Quirinali III. Idus Aprilis MDCCXXVIII.

Franciſcus Blanchinus S. D. N. Papæ Prælatus Domeſticus.

II.

PEreruditam Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Juſti Fontanini Archiepiſcopi Ancyrani *Diſquiſitionem de corpore ſancti Eccleſiæ Doctoris Auguſtini, Ticini reperto in Confeſſione ædis ſancti Petri in Cœlo aureo*, mandante Reverendiſſimo Patre Gregorio Selleri, ſacri apoſtolici Palatii Magiſtro, attente perlegi. In ea nihil plane, quod orthodoxæ Eccleſiæ fidei, ſaniſque moribus adverſetur, offendi: quinimmo celeberrimi Auctoris pietatem, exquiſitamque eruditionem miratus ſum, quod undequaque conquiſitis argumentis, non quidem futilibus & cavilloſis, ſed veris ſolidiſque, utpote quæ e fontibus rei, de qua agitur, propriis aptiſque derivata ſunt, ſacris magni Auguſtini exuviis offuſas nebulas ita abſterſerit, earundemque veritatem tanta in luce collocaverit; ut qui veneranda illa pignora iterum in controverſiam & diſceptationem vocet, non facile repertum iri ſperem. *Diſquiſitionem* itaque ſingulari eruditione refertam ad reſtituendam ſancti Eccleſiæ Doctoris ſacris reliquiis debitam venerationem pio conſilio elucubratam publica luce digniſſimam cenſeo. Ita ſentio.

Ex ædibus Cœleſtinorum ſanctæ Mariæ in Poſterula idibus Aprilis MDCCXXVIII.

Ego D. Cœleſtinus Galianus Abbas, & Procurator generalis Congregationis Cœleſtinorum, in Romano Archigymnaſio Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, & ſacrorum dogmatum publicus Profeſſor.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

INDEX CAPITUM

I. *Sancti Auguſtini præſtantia.* pag. 1

II. *Vandali in Africam trajiciunt, & Auguſtinus in cœlum migrat.* ibidem

III. *Reges Vandali & perſecutio Traſamundi in Africanos epiſcopos.* 2

IV. *Perſecutio in Byzacenæ & Numidiæ epiſcopos excitata.* 4

V. *Numidiæ epiſcopi a Traſamundo in Sardiniam relegati ſecum ferunt Sanctorum Reliquias & corpus beati Auguſtini.* 6

VI. *Sancti Auguſtini corpus a fine ſæculi quinti ad initium octavi in Sardinia cum maximo honore ſervatum.* 9

VII. *Liutprandus Rex Langobardorum corpus Auguſtini magno pretio a Saracenis redemtum, ex Sardinia Ticinum transferri, ibidemque honorifice condi ſatagit.* 10

VIII. *Secundam unius Auguſtiniani corporis translationem ex Sardinia Ticinum factam complures hiſtorici poſt Bedam teſtantur.* 11

IX. *Secunda translatio Auguſtiniani corporis quo tempore facta.* 12

X. *Ejuſdem ſecundæ translationis epocha veterum teſtimoniis firmata.* 13

XI. *Petri Mediolanenſis epiſtola, Auguſtiniani cor-*

corporis utramque translationem complexa. 16

XII. *Petri Mediolanenſis epiſtolæ fundi veritas comprobatur.* 18

XIII. *Exteri auctores, translationem Auguſtiniani corporis ex Sardinia Ticinum factam teſtantur.* 19

XIV. *Iidem teſtes, de puteo in Confeſſione ædis sancti Petri in Cœlo aureo locuti.* 20

XV. *Auguſtinus in eadem Confeſſione, pro eo ſolo recipiendo conſtructa, honorifice conditus.* 24

XVI. *Honor præſtitus Auguſtiniano corpori, idem fuit ac martyrum; neque id fuit unquam ex Confeſſione alio translatum.* 27

XVII. *Confeſſionis vocabulum magni faciendum. Sex Auguſtiniani corporis translationes confictæ omnes.* 31

XVIII. *In Baſilica sancti Petri in Cœlo aureo Confeſſio a Liutprando Rege conſtructa ob unum Auguſtini corpus in ea deponendum, ubi ſemper quievit.* 35

XIX. *Corpus Auguſtini in Confeſſione ſemper quievit, & quieſcere creditum eſt.* 37

XX. *Corpus beati Auguſtini in mauſoleo lateritio detectum una cum ejus nomine, duobus in locis appicto.* 39

XXI. *Tres loculi ſepulcrales corporis sancti Auguſtini.* 42

XXII. *Recenſio oſſium sancti Auguſtini.* 44

XXIII. *Corpus Auguſtini debito honore in ſola Confeſſione, non alibi conditum.* 46

XXIV. *Gothi & Langobardi, ut ceteri Chriſtiani,*

ni, extra eccleſiam ſepulti. 48

XXV. *Honor thecæ argenteæ exhibitus corpori ſancti Auguſtini, proprius & communis fuit eccleſiarum patronis.* 51

XXVI. *Corpus Auguſtini a Liutprando reconditum ex more tunc paſſim in eccleſia recepto.* 55

XXVII. *Vetus eccleſiæ ritus, in tumulando corpore Auguſtini ſervatus, ex poſtrema ejus inventione manifeſtatur.* 56

XXVIII. *Corpora Sanctorum & beati Auguſtini, ex ritu eccleſiæ ſepulta in Confeſſione ſuper terram inter parietem & altare.* 58

XXIX. *Corpus ſancti Auguſtini ex ritu eccleſiæ ſepultum ſub ara maxima in Confeſſione juxta aliud altare.* 59

XXX. *Corpora Sanctorum & Auguſtini ſepulta juxta altare ac inter altare & Confeſſionis parietem.* 61

XXXI. *Summi Pontifices teſtantur, corpus Auguſtini ſervari juxta altare inferius in Confeſſione, ubi repertum eſt.* 62

XXXII. *Corpus Auguſtini in æde ſancti Petri in Cælo aureo ſervari, idem eſt, ac ſervari in Confeſſione, ubi repertum eſt.* 64

XXXIII. *Phialæ vitreæ cum Reliquiis Auguſtini repertæ, non ſanguine, ſed oleo antea plenæ.* 65

XXXIV. *Phialæ oleo plenæ cur Sanctorum loculis admotæ.* 66

XXXV. *Oleum in phialis, Sanctorum tumulis admotum, Reliquiarum loco habitum, diverſumque ab oleo lampadum.* 69

XXXVI. *Vaſa oleo plena Sanctorum tumulis olim ad-*

admota, adhuc ſuperſunt. 72
XXXVII. Phialæ vitreæ cum oſſibus Auguſtini cur vacuæ repertæ. 73
XXXVIII. Velum cum Reliquiis Auguſtini repertum. Vela, Sanctorum corporibus advoluta. 76
XXXIX. Vela, tumulis Sanctorum admota, in ſumma olim veneratione habita. Cur ligni fruſtula cum Reliquiis Auguſtini reperta. 78
XL. Sanctus Egelnothus Ticini non emit, ſed dono habuit brachium Auguſtini, cujus corporis pretium ad brachium male translatum. 82
XLI. Benedictus VIII. Ticini Concilium habet, & brachium Auguſtini Egelnotho concedit. 85
XLII. Summorum Pontificum, Præſulum Ticinenſium, & plurium auctorum de Auguſtini corpore, in Ticinenſi Confeſſione ſervato, teſtimonia, a Paſchali II. ad Urbanum VIII. 88
XLIII. Veritas corporis ſancti Auguſtini contra recentes fabulas aliunde patefacta. 102
XLIV. Complures Theologi pro veritate Auguſtiniani corporis ſententiam tulerunt. 107
XLV. Ticinum cur Papia dictum. 109
Confeſſio Baſilicæ ſancti Petri in Cœlo aureo æri inciſa. 37
Index rerum. 113
Paucula addenda. 120

DE

DE CORPORE SANCTI AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

DISQUISITIO

I. Sancti Auguſtini præſtantia.

MAGNUS Eccleſiæ Pater, & catholici orbis magiſter, *Auguſtinus* Hipponenſis Epiſcopus, ob vitæ religionem & ſanctioris doctrinæ præſtantiam ubique gentium ea in veneratione ſemper habitus eſt, ut neminem probe ſentientem reperire ſit, qui tanto nomini non aſſurgeret. In magni Præſulis laudibus prædicandis veterum Patrum, & maximorum Pontificum monumenta ſimul coeuntia ita innoteſcunt, ut legentium oculis ea ſubjici nequaquam indigeant. Propterea mirum non eſt, ſi majores noſtri ex perantiquo dogmate Eccleſiæ catholicæ, ſacras etiam *Auguſtini* exuvias, cincreſque ipſos religioſe cuſtodiendos, ac ſupra omnes theſauros, tanquam certos divinæ opis vades, ſibi ſervandos propoſuerunt.

II. Vandali in Africam trajiciunt, & Auguſtinus in cœlum migrat.

HOc planum reddit hiſtoria perſecutionis a Traſamundo Rege Vandalorum exeunte ſæculo V. in Africanam Eccleſiam excitatæ. Tunc enim Epi-

 ſcopi & Confeſſores illarum partium nihil antiquius habuerunt, quam ut pignora Sanctorum, inque his beati *Auguſtini*, furori Vandalico erepta, ſecum in exſilium deportarent. Siquidem Vandali cum Gothis & Alanis mixti ex ultima plaga ſeptemtrionali prodeuntes, quum in Gallias, Hiſpanias & deinde ante obitum *Auguſtini* in Africam, duce Genſerico, trajeciſſent ſecum advecto Arianiſmo, quo nihil prorſus catholicæ religioni magis adverſum, novennium ab ejuſdem Patris dormitione, quæ, iiſdem Vandalis per tres menſes Hipponem obſidentibus, accidit die XXVIII. Auguſti, A.D.430. tandem Carthaginem, totius Africæ principem civitatem, & Hipponem ipſum, ubi *Auguſtinus* in cœlum migraverat, truci & metuendo imperio ſuo parere coegerunt. Priuſquam de viri ſancti exuviis, poſtmodum Hippone in *Sardiniam*, & deinde ex *Sardinia* Ticinum advectis, Diſquiſitionem inſtituo, operæ pretium facturum me arbitror, ſi de Regum Vandalorum, qui Africanis oris centum annos circiter incubuerunt, breve laterculum hoc loco diſponam; quandoquidem eorundem Regum unum & alterum nobis memorari oportebit.

III. Reges Vandali & perſecutio Traſamundi in Africanos epiſcopos.

Joſephus Scaliger in canonibus iſagogicis Euſebiano Chronico ſubjectis pag. 173. editionis II. hanc Vandalicam dynaſtiam ſex Regibus comprehenſam abſolvit, a Genſerico eorum primo ad Gilimerem ultimum, ſive ab A. D. 428. ad annum 530. perductam. Nihil tamen in iſtud laterculum ſuum commentatus eſt Scaliger. Hi vero ſunt Reges;

1 *Genſericus*
2 *Hunericus*

3 *Gun-*

3 *Guntabundus*
4 *Traſamundus*
5 *Hildericus*
6 *Gilimeres*.

Verum quæ non protulit Scaliger, abunde compenſat, literario æque ac purpureo faſtigio inclytus Cardinalis, idemque ſtrenuus *Auguſtini* filius, Henricus Noris in Hiſtoria Pelagiana lib. II. cap. XXI. ubi eorundem Regum chronologiam ita digeſſit, ut viri magni, quem viventem ſæpe coram ſuſpexi, calculos perturbare, piaculum putem. Is ergo ſtatuit, poſt Guntamundum, ſeu Guntabundum Genſerici ex Genzone filio nepotem, atque Hunerici Regis ſucceſſorem, die XXIV. Septembris A.D. 496. extinctum, inſequenti A. D. 797. Traſamundo regnum patuiſſe, qui, ut ſtatim videbimus, orthodoxos epiſcopos propterea in *Sardiniam* exſulare compulit, quod regiis edictis ab ſe contra ſacras eorum ordinationes vulgatis, obtemperare noluiſſent, teſte in Vita ſancti Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi ejus diſcipulo & exſilii comite cap. XVI. qui, ſi Petrum Franciſcum Chiffletium audimus, eſt Ferrandus Diaconus; licet conjecturas, quibus id plurimis ſuaſit, *leves* putet Noriſius eodem lib. II. cap. XXIV. Fulgentius tamen a Rege Carthaginem ex *Sardinia* evocatus, rurſus poſtea exſulavit. Impium hac in re Traſamundi animum pandit Petrus Seguinus, denarium Hilderici, ejus optimi ſucceſſoris, & penultimi Vandalorum in Africa Regis, explanans inter Selecta numiſmata pag. 52. editionis II. Traſamundo enim ſublato die XXVIII. Maii A.D. 523. ex Noriſio libro II. cap. XXI. Hildericus Hunerici filius nondum Rex publice inauguratus, mox ſacras ædes aperuit,

CAP. IV ruit, catholicoſque epiſcopos ab exſilio revocavit, qui tamen *Auguſtini* corpus, quod in *Sardiniam* adduxerant, in patriam non reduxerunt; quippe ibidem *honorifice* tumulatum, & ducentis poſt annis inde meliori eventu in Italiam perducendum, ut perductum poſtea oſtendemus. Ea, quam dixi, Ruſparum civitas epiſcopalis, fuit ſub Primate provinciæ Byzacenæ, qui Archiepiſcopo Carthaginienſi, ut omnes Africæ Primates, ſuberat. Huic enim metropolitæ, ceu ſummo totius Africæ exarcho, non una *Numidia*, ſed *Byzacena*, ceteræque Africanæ provinciæ eccleſiaſticæ accenſebantur. Hippo autem, *Numidiæ* civitas epiſcopalis, ac Sedes beati *Auguſtini*, ſuberat *Primati* Numidiæ: qui quidem *Primas*, in Africanis provinciis *Senex* dictus, antiquior in epiſcopatu illud faſtigium habere conſuevit. Vide Noriſium libro II. cap. VIII. Harum Sedium hiſtoriam non ambigo, quin R. P. Michael Lequienius, præcipuum ordinis Prædicatorum ornamentum, magna & multa eruditione, qua pollet, quaque jampridem orbi literario innotuit, ſit illuſtraturus in ſua *Africa Chriſtiana*, typographorum Pariſienſium prælis ſubjecta.

IV.
Perſecutio in Byzacenæ & Numidiæ epiſcopos excitata.

IGitur A. D. 497. Traſamundo regnum adepto, ſæva tempeſtas contra Africanam Eccleſiam orta eſt, qua Epiſcopos numero LX. præter alios bene multos, in *Sardiniam* exterminatos tradit vulgatus ille Ferrandus cap. XX. Vitæ ſancti Fulgentii. Sebaſtianus Tillemontius in notis ad Vitam ſancti Auguſtini ab ſe digeſtam pag. 1047. num. XCV. hos epiſcopos ad unam provinciam Byzacenam referendos exiſtimavit, quaſi nimirum ſoli *Byzaceni* exſulaſſent. At vulgatus Ferrandus, qui, ut dixi, unus illo-

illorum fuit, Diaconus erat Carthaginienſis in *Numidia*, non ſane in *Byzacena*. Ad hæc Victor, Tunnonenſis in Africa epiſcopus, *Tununenſis* etiam dictus, qui Proſperi Chronicon ſubſequitur apud Scaligerum, in Conſulatu II. Anaſtaſii Auguſti, ſive A. D. 497. non ex una quidem certe *Byzacena*; ſed ex *omni Africa*, juſſu Traſamundi catholicos epiſcopos tunc in *Sardiniam* proſcriptos teſtatur his verbis: *hic* (Traſamundus) *Ariana inſania plenus, catholicos inſectatur, catholicorum eccleſias claudit, & in Sardiniam exſilio ex* OMNI AFRICANA *eccleſiæ* CXX. *epiſcopos mittit*. Iſidorus Victorem Tunnonenſem exſcripſit in Hiſtoriola Vandalorum, quam Philippus Labbeus primo ſe vulgare putavit in Bibliotheca tomo I. pag. 71. & 72. quum tamen eam antea vulgaſſet Bonaventura Vulcanius inter Gothicarum rerum ſcriptores pag. 229. Sed in numerum epiſcoporum apud hos mendum irrepſit. Etenim ſanctus Ado Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui Victoris Chronicon legit, in ſuo ait Ætate VI. A. D. 492. (immo 497.) *ducentos viginti epiſcopos* a Traſamundo in *Sardiniam* projectos. Adoni conſonat Paullus Diaconus in Hiſtoria miſcella lib. XV. pag. 428. editionis Caniſianæ, Anonymus in Chronico brevi, quod Theodericus Ruinartus cum Victoris Vitenſis hiſtoria vulgavit pag. 115. & Godefridus Viterbienſis in Chronico. Qui vero ſancti Aviti Viennenſis Epiſcopi vitam ſcripſit apud Labbeum in Bibliotheca ibidem pag. 693. cap. I. in fine, exſulantium epiſcoporum numerum auget ad *quingentos & quinquaginta*. Quare LX. illi epiſcopi confeſſores, a Ferrando commemorati, ex *Byzacena* provincia fuiſſe dicendi ſunt; reliqui ex *Numidia* & reliqua *Africa*, atque ex Hippone etiam, unde

CAP. V. unde corpus beati *Auguſtini* in *Sardiniam* translatum eſt. Nam Traſamundi, plus aſtu, quam vi aperta in fidem catholicam ſævientis, ut ait Procopius libro I. de Bello Vandalico cap. VIII. animus fuit orthodoxos in hæreſim ſuam blanditiis trahendo omnem epiſcoporum ſeriem ſine ſanguine in *tota Africa*, non in ſola provincia *Byzacena*, prorſus extinguere.

V.
Numidiæ epiſcopi a Traſamundo in Sardiniam relegati ſecum ferunt Sanctorum Reliquias & corpus beati Auguſtini.

HAnc tamen perſecutionem, ab Hunerico, non a Traſamundo excitatam ſuſpicatus eſt Tillemontius pag. 944. & 1047. vitæ Auguſtini. Sed quominus vir doctus a ſuſpicionibus ſuis, quibus ſæpe nimis indulſit, in errorem abreptus fuerit, minime dubito. Siquidem Ferrandus Chiffletianus initio capitis XXI. Victor Tunnonenſis, Iſidorus, Ado, Paullus Diaconus, Anonymus Ruinarti, atque auctor Vitæ ſancti Aviti, a me omnes proxime adducti, quos Tillemontius, magnitudine ſui operis feſſus & quaſi obrutus, conſuluiſſe nequaquam videtur, non certe de *Hunerico*, ſed de *Traſamundo* nominatim loquuntur, idque conſulenti eoſdem hiſtoricos liquet. Ex Tunnonenſi autem Antonius Pagius A. D. 504. §. III. falſo deducit, incertum eſſe, an Traſamundi perſecutio incœperit ante A. D. 505. quum contra ex ejuſdem Chronologi verbis jam recitatis certo conſtet, eam, Traſamundo ad regnum evecto, inchoatam. Evectus eſt autem A. D. 497. Neque alias Rex, Arianiſmi propagandi, inque toto ſuo regno undecunque ſtabiliendi avidiſſimus, octennium de eo ſiluiſſet; ſed ſtatim ac regnum invaſit, de tanto negocio cogitaſſe dicendus eſt. Id autem fecit, edictum in ſacras ordinationes promulgans, & perſecutionem confeſtim adoriens. At

non

non omnes catholici uno ſtatim ac eodem tempore, CAP. V.
ſed alii aliis ſubſequentibus annis amandati ſunt. Sanctus Fulgentius ſemel atque iterum certe exſilium *Sardiniæ* pro fide Chriſti alacriter ſubiit: quod docet Ferrandus in ejus Vita cap.XX. XXI. XXIV. Hoc gemino Fulgentii exſilio & Victoris Tunnonenſis auctoritate, cujus Chronicon una cum Legatione Liutprandi epiſcopi Cremonenſis ad Imperatorem Nicephorum Phocam, ſeorſum primus edidit Henricus Caniſius Ingolſtadii A. D. 1600. difficultas reſolvitur, quam Baronius proponit A. D. 504. §. XXIII. de tempore, quo hæc perſecutio mota eſt. Sanctus Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus A. D. 505. in Albigenſem tractum Aquitaniæ, qui *Occitania* appellatur, Gothis, Vandalorum gentilibus & ſymmiſtis tunc ſubjectum, altero quoque exſilio relegatus beato fine quievit. Vide Hagiologos Bollandianos tomo III. Julii pag. 491. num. 24. & §. IV. ſequenti. Ceteri Præſules *Africani* alio relegati, ſecum pignora Sanctorum, cumque his beati *Auguſtini* corpus in *Sardiniam* tulerunt. Symmachus Anaſtaſio II. pontifici ſuffectus A. D. 498. iſtam præſulum Africanorum proſcriptionem, præcedenti anno executioni mandari cœptam, diſerto ſuo teſtimonio ob oculos ponit; quippe qui ad eoſdem conſolatoriam tunc epiſtolam ſcripſit, patriamque *Sardiniam* habuit, ut eruimus ex vulgati Anaſtaſii libro Pontificali, qui etiam teſtatur, eum quotannis ad eoſdem extorres epiſcopos in *Sardiniam pecunias* & *veſtes* miſiſſe: quod pariter ſcribit Anonymus apud Ruinartum, auctor Vitæ sancti Aviti apud Labbeum, & Ado in Chronico. Ex Symmachi epiſtola, quam nobis ſervavit Ennodius, Diaconus, & poſtea Epiſcopus Ticinenſis lib. II. epiſt. XIV. *Afrorum* antiſtitum

CAP. V. ſtitum in *Sardinia* exſulum pia ſollicitudo in conquirendis Sanctorum reliquiis aperitur. Martyrum enim *Romani*, & *Nazarii* pignora, quæ Chriſtianæ religionis proprio vocabulo *patrocinia* dicebantur, quum illi a Symmacho poſtulaſſent, hæc ſummus pontifex ad eos his verbis tranſmiſit: *accipite veneranda* PATROCINIA *invictorum militum*. Sanctos viros phraſi veterum Eccleſiæ ſcriptorum, *patronos* dici, palam eſt, idque monuit Franciſcus Juretus in notis ad Paulinum Petrocorium de Vita ſancti Martini libro v. *v.* 108. Hinc eorundem Reliquiæ a majoribus noſtris *patrocinia* nuncupatæ. *Martyres* vero, *milites Chriſti* paſſim dicti ſunt, præſertim a ſancto Ambroſio epiſtola XXII. ad ſororem, claſſe I. tomo II. operum pag. 877. §. 10. editionis novæ, ubi agit de inventione corporum ſanctorum Gervaſii & Protaſii. In tabulario baſilicæ Vaticanæ exſtat antiquiſſimus membraneus codex, opera ſancti Hilarii Pictavorum epiſcopi comprehendens, literis uncialibus ſub initium ſæculi VI. conſcriptus, quem in chirographo, minutioribus literis eidem ſubjecto, quiſpiam ſtudioſus cum vetuſtiori ſe poſtea contuliſſe teſtatur, *aput Kaſulis conſtitutus anno quartodecimo Traſamundi Regis*. Hic annus congruit A. D. 510. *Caſulæ* fuit urbs *Byzacenæ* provinciæ. Hunc præſtantiſſimum codicem, quem nos ipſi non ſine magna veneratione cum aliis ſpectatiſſimis viris aliquando luſtravimus, occaſione jam dictæ perſecutionis huc allatum putamus. Tunc autem exſcriptus eſt codex ob Hilarii tractatus contra veteres Arianos, a catholicis Patribus contra novos in Africa utendus. Rem enim Traſamundus ad diſputationes etiam perduxit. De eo codice vide Mabillonium in Muſeo Italico tomo I. pag. 143. & libro

libro v. de Re diplomatica pag. 356. editionis II. atque etiam Petrum Couſtantium in Vindiciis veterum codicum confirmatis pag. 179.

VI.
Sancti Auguſtini corpus a fine ſæculi quinti ad initium octavi in Sardinia cum maximo honore ſervatum.

Ruinartus in Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ Parte II. cap. XI. pag. 580. num. 16. ex Patrum Africanorum in *Sardinia* exſulum ſtudio in conquirendis Sanctorum pignoribus, veteres Italicarum Eccleſiarum traditiones firmari cenſet, quæ martyrum corpora ex Africa per ipſos Confeſſores in Italiam allata, ſe etiamnum habere gloriantur. Inter omnia Sanctorum pignora, quæ ſecum illi in *Sardiniam* comportaverunt, unum certe pretioſiſſimum fuit corpus beati *Auguſtini*, cujus translationem ex iis, quæ poſtmodum acciderunt, tunc factam, certiſſime comprobatur. Conſtat enim ſancti Doctoris exuvias ineunte ſæculo VIII. ſumtu & cura Liutprandi Regis Langobardorum ex *Sardinia* perlatas in ſuburbanum cœnobium Ticinenſe, *Cœlum aureum* vocatum a Paullo Diacono libro VI. cap. LVIII. de Geſtis Langobardorum, quod tamen (nunc ſitum in ipſa civitate) sanctus Ado in Chronico Ætate VI. A. D. 718. cumque eo Albericus in Chronico, & Philippus Præmonſtratenſis Bonæ Spei Abbas, a me infra adducendus, *Cellam auream* appellant. Monaſteria enim *Cellæ* apud veteres paſſim dicuntur. Id propterea a Rege factum, quod inſulam *Sardiniam* ea tempeſtate Saraceni vaſtarent, alias ab A. D. 712. in Hiſpaniam ingreſſi, ut a Carolo Cointio oſtenſum eſt in Annalibus Eccleſiaſticis Francorum A. D. 721. §. XXXI. Quare non uni *Sardiniæ*, ſed & Gallicis oris infeſti proxime incubuerunt, poſtquam ſcilicet Conſtantinopolitanam obſidionem fruſtra tentaſſent. Fama vero ubique

Cap. VII. gentium jamdudum percrebuerat, *Auguſtini* oſſa per Africanos epiſcopos, quos Vandalicus furor e ſuis Eccleſiis in *Sardiniam* ejecerat, tanto ante, illuc advecta, ibidemque *honorifice* condita. Primi rei teſtes maxime locupletes ejuſdem ſæculi VIII. ſunt Venerabilis Beda, & Paullus Diaconus: qui quidem Paullus ſub Deſiderio, poſt Liutprandum tertio Rege Langobardorum, Ticini vixit in aula regia. Ab his teſtibus, qui hoc magno & ſplendidiſſimo Liutprandi Regis facinore ſua ſcripta nobilitarunt, per totam poſtea Eccleſiam hæc, omnium ore, ob *Auguſtini* præſtantiam, celeberrima hiſtoria, vulgata eſt.

VII.
Liutprandus Rex Langobardorum corpus Auguſtini magno pretio a Saracenis redemtum, ex Sardinia Ticinum transferri, ibidemque honorifice condi ſatagit.

BEda ergo, ut ab æquali, & antiquiore dicere adgrediar, in Anglia conſtitutus, audito tantæ rei nuncio, illuc trans mare ad Britannos toto orbe diviſos perlato, hanc duobus in locis ſuorum operum ſeræ poſterorum memoriæ commendavit: In Chronico enim prope finem pag. 33. editionis novæ Cantabrigienſis hæc habet ad annum mundi 4680. ex ſua peculiari ſupputandi ratione: *Leo annis* IX. Eſt Leo Iſauricus, qui tunc, Beda ſcribente, ab annis IX. imperabat. Idem Beda hæc ſtatim ſubjungit: *Liudhbrandus audiens, quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca fœdarent illa, ubi* OSSA *ſancti Auguſtini epiſcopi propter vaſtationem barbarorum* OLIM TRANSLATA, *&* HONORIFICE *condita fuerant, miſit, & dato* MAGNO PRETIO *accepit, & tranſtulit ea in Ticinis, ibique cum* DEBITO *tanto Patri* HONORE *recondidit*. His Bedæ verbis in Chronico exaratis, ea plane reſpondent, quæ in genuino Martyrologio exaravit pag. 413. ubi natalem beati Præſulis Hipponenſis commemorans die

die XXVIII. menſis Auguſti, ait: *In Africa ſancti Auguſtini Epiſcopi, qui* PRIMO *de ſua civitate* (Hippone) *propter barbaros* (Vandalos) *Sardiniam translatus*, NUPER *a Liuthbrando Rege Langobardorum Ticinis relatus*, *&* HONORIFICE *conditus eſt*. Idem Beda, ex Antonii Pagii calculis A. D. 731. §. IV. ſupremum diem obiit A. D. 735. Quare Beda poſt hanc ſecundam *Auguſtiniani* corporis *translationem*, ſive, ut majores noſtri loqui maluerunt, *elevationem*, pridem ſuo tempore factam, Martyrologium ſuum concinnavit, in quo per vocabulum *nuper*, eam recentiſſimam fuiſſe innuit.

VIII.
Secundam unius Auguſtiniani corporis translationem ex Sardinia Ticinum factam complures hiſtorici poſt Bedam teſtantur.

SEd Paulli Diaconi, hanc quoque translationem teſtantis, verba recitemus ex libro VI. de Geſtis Langobardorum cap. XLVIII. quæ tantum non eadem ſunt ac Bedæ. Paullus ergo poſtquam Conſtantinopolis obſidionem a Saracenis, ut dixi, fruſtra tentatam narraſſet, ita ſubjungit: *Liudbrandus vero audiens, quod Saraceni, depopulata Sardinia, etiam loca, ubi* OSSA *Auguſtini epiſcopi propter vaſtationem barbarorum olim translata, & honorifice fuerant condita, fœdarent, miſit eo, & dato* MAGNO PRETIO, *accepit, & tranſtulit in urbem Ticinenſem, ibique cum* HONORE DEBITO CONDIDIT. Ita Paullus, quem poſtea Marianus Scotus, Romualdus Salernitanus, Anonymus Reicherſpergenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Sicardus Cremonenſis, Helinandus & Albericus Ciſtercienſes, Hugo Floriacenſis, aliique exſcripſerunt. Quis fuerit hic *honor*, quo corpus *Auguſtini* in æde Ticinenſi *conditum* eſt, poſtea explicabimus. Philippus Præmonſtratenſis, Harvengius a patria nuncupatus, cognomento Eleemoſynarius, Abbas Bonæ Spei in Hannonia, ſan-

CAP. IX. ctoque Bernardo Claravallenſi æqualis, in Vita ſancti *Auguſtini* cap. xxxiii. pag. 706. operum, Duaci editorum A. D. 1621. narrat, Liutprandum *cum multo auri, & argenti pondere* pro exuviis *Auguſtini* redimendis Legatos in *Sardiniam* miſiſſe, eaſdemque Genuam & Dertonem advectas, regiaque cura Ticinum allatas, *in baſilica regia* v. *Idus Octobris* HONORIFICE fuiſſe reconditas. Eleemoſynario plane conſentit Chronicon Anonymi Altiſſiodorenſis in codice Stroziano Romæ ſervatum apud excellentiſſimum Forani Principem Laurentium Franciſcum Strozam, quod amicus noſter inſignis Bernardus a Montefalconis Romæ ſibi a claræ memoriæ Leone Stroza commodatum A. D. 1700. exſcripſit, ſed nondum vulgavit. *Magnum* iſtud *pretium*, quod pro redimendis unius *Auguſtini* oſſibus Liutprandus perſolvit, nemo ex antiquis hiſtoricis explicavit. Ego vero illud poſtea ſingulatim enumerabo, 60. millia aureorum exceſſiſſe dicturus.

IX. Secunda translatio Auguſtiniani corporis quo tempore facta.

QUoto Chriſti anno hæc *ſecunda translatio* contigerit, jam diſquiramus. Antiqui enim, & novi ſcriptores de ea loquuti, varii inter ſe ſunt. Beda, omnium antiquiſſimus, in Chronico id factum narrat intra primum illud *novennium*, quod Leo Iſauricus, ob perſecutionem in ſacras imagines excitatam poſtea infamis, in imperio tranſegerat quo tempore ipſe Beda Chronico ſuo manum poſtremam impoſuit. Ex accuratioribus chronologiæ calculis patet, Leonem inauguratum A. D. 717. Indictione xv. die xxv. Martii. Beda ergo plurium annorum eventus in unum conflatos, ſuiſque annis minime affixos, in primum illud Leonis imperii *novennium* ſimul conferens, *Auguſtini* transla-

translationem hoc ipſo primo *novennio* factam literis conſignavit. Bedæ ſtilum alii Chronicorum auctores poſtea ſequuti ſunt. Quippe ſanctus Ado in Chronico Ætate VI. eandem hanc translationem ex Beda mutuatus, clauſit intra annos Chriſti 718. & 726. Otto Friſingenſis perinde in Chronico, libro IV. cap. XVIII. intra annos 718. & 742. collocavit. His ergo judicibus, ante annum Chriſti 718. translatio facta non eſt, nec certe fieri potuit. Factam enim fuiſſe conſtat poſt *triennalem obſidionem* Conſtantinopolitanam, a Saracenis fruſtra tentatam, quam ſolverunt A. D. 718. ſi Pagium quidem auſcultamus; ſiquidem Anonymus Saxo in Chronico, poſtea laudando, ſolutam tradit A. D. 721. Sigebertus A. D. 720. At neque ſane translatio facta eſt poſt annum 726. quo Beda Chronico ſuo finem impoſuit, ut ſtatim patebit.

X.
Ejuſdem ſecundæ translationis epocha veterum teſtimoniis firmata.

JOhannes Mabillonius in Muſeo Italico tomo I. pag. 221. ſuam olim & aliorum ſententiam fuiſſe non diffitetur, ut hanc traslationem A. D. 722. illigandam cenſeret, cui eam ipſe illigaverat in Actis ſanctorum ordinis ſancti Benedicti ſæculo III. Parte I. pag. 437. Sed poſtea chronologicæ notæ, vitio exſcriptoris in diplomate Liutprandi Regis corruptæ, tanti viri calamum alio traxerunt. Siquidem ſcriptor egregius, uti homines ſumus, humani quidpiam paſſus, deſerta priori ſententia, translationem factam putavit A.D. 712. quem deinde aliud agens Ruinartus ſequutus eſt in Hiſtoria perſecutionis Vandalicæ pag. 582. Anno tamen 712. Saraceni nondum in *Sardiniam* invaſerant, nec certe Leo Iſauricus Auguſtalem thronum inſcenderat, quo imperante, *ſecunda Auguſtiniana translatio*

ſine

Cap. X. ſine dubio facta eſt. Poſtea vir candidus & veritatis amantiſſimus mendoſas diplomatis notas ab ſe agnitas omnino deſeruit in Annalibus tomo II. libro xx. cap. LIII. pag. *66*. translationemque iterum illigavit A. D. 722. teſtimonio ductus veteris Chronici Abbatiæ sancti Germani Pariſiorum, quo alias huic eidem ſententiæ ſubſtruendæ uſus fuerat. Profecto optime a viro doctiſſimo id actum eſt. Quippe non unum iſtud Chronicon Germanenſe *Auguſtini* oſſium translationem illi anno 722. connectit; ſed & alia hoc faciunt. *Elnonenſis* enim, *Herbipolenſis*, & *Saxonici* Chronicorum auctores idipſum uno ore confirmant. *Primum* edidit Edmundus Martenius in Theſauro Anecdotorum tomo III. pag. 1393. *Alterum* Stephanus Baluzius in Miſcellaneis tomo I. pag. 502. *Tertium* Godefridus Guillelmus Leibnitius Acceſſionum hiſtoricarum to. II. pag. 110. *In tertio* tamen hoc Chronico annus Chriſti 722. quo ea, quæ diximus, facta ſunt, cum V. non VI. imperii Leonis Iſaurici anno copulatur, quia Chronographus Saxo annum primum Leonis illigavit A. D. 718. quem A. D. 717. illigare debuiſſet. Idipſum præfert Anonymus Altiſſiodorenſis in codice Stroziano; ſed tamen id præfert errore librarii, non ſuo. Quum enim primigenius auctor perinde ac Anonymus Saxo, aliique inferioris ævi Chronologi, Leonis imperium non auſpicetur ab A. D. 717. ſed ab A. D. 718. propterea translationem conferre debuit in annum V. non in IIII. Leonis, inque vulgarem annum 722. non in 721. Error inde fluxit, quod librarius oſcitans Leonis annum *quartum* iteravit, rurſus IIII. pro V. ſcribens, ideoque & vulgarem annum 721. pro 722. exaravit, qui anno imperii Leonis V. non IV. reſpon-

ſpondet. Idem porro Anonymus Strozianus non ſemper ſingulos imperii Leonini annos rerum geſtarum narrationibus implet, ſed per ſaltum ab anno II. Leonis ad IIII. & a V. ad IX. procedit: eſtque diverſus ab altero Anonymo Altiſſiodorenſi, cujus Chronicon ab orbe condito ad A. D. 1211. perductum Nicolaus Camuzatus vulgavit Pariſiis apud Hadrianum Beys A. D. 1609. Eum Lucas Holſtenius in exemplari Bibliothecæ Angelicæ, *Robertum monachum Præmonſtratenſem* appellat. Etiam Aubertus Miræus in Auctario ante caput CCCLXXXIX. Sed Mabillonius in Itinerario Burgundico pag. 5. *Hugonem* Chronici, anno 1203. deſinentis, primarium auctorem facit. Cum quatuor, immo *quinque* memoratis Chronicis convenit Carolus Sigonius, in rerum Italicarum peritia magni faciendus, ubi in concinnanda ſua Hiſtoria de Regno Italiæ ſingulares Italicarum Eccleſiarum & civitatum faſtos atque acta perluſtravit, ut feciſſe videtur de hac translatione agens, quam A. D. 722. & ipſe defixit in libro III. de Regno Italiæ. Hanc epocham duo alii Chronologi proxime attingunt, Sigebertus, & Hermannus Contractus. Prior enim in Chronico editionis Auberti Miræi pag. 80. translationem ponit A. D. 721. quia per librarium, ut cenſeo, ex A. D. 722. inferius laterculum ſubmotum, ſuperioris anni 721. laterculo adnexum eſt. At contra in Chronico Hermanni Contracti editionis Urſtiſianæ hæc eadem translatio locatur A. D. 723. quia librarius laterculum, eam narrans, ex ſuperiori A. D. 722. ad poſterioris laterculi initium anni 723. ſuo jure tranſtulit. Idem fortaſſe dicendum de Alberico monacho Trium Fontium, apud quem translatio perinde confertur in A. D. 721. Noſtram hanc epo-

CAP. X.

cham

cham anni 722. video arriſiſſe etiam Claudio Caſtellano in Martyrologio Romano Gallice verſo pag. 804. Itaque poſt concordem tot veterum Chronicorum auctoritatem, quibus Bedæ epocha translationis fulcitur & complanatur, minime dubitandum cenſeo, quin A. D. 722. revera contigerit, decurrente Indictione v. Pontificatus Gregorii II. anno VIII. Imperii Leonis Iſaurici anno VI. *primi novennii*, cyclo Solis III. Lunæ I. litera dominicali D. quo anno Paſcha incidit in diem XII. Aprilis. Quare annus translationis, qui Pagio A. D. 725. §. I. & Tillemontio videbatur *incertus*, jam certus habendus eſt. Sed ſacra pompa, & translationis cæremonia nobis jam enarranda.

XI. Petri Mediolanenſis epiſtola Auguſtiniani corporis utramque translationem complexa.

PEtrus Archiepiſcopus Mediolanenſis, eodem ſæculo VIII. ad finem vergente, rogatus a Carolo Magno, nondum Auguſto, utriuſque translationis hiſtoriam, ex Africa in *Sardiniam*, atque hinc Ticinum, LXX. plus minus annos poſt eam, uſus, ut ait, chartis, & *libris Regum Langobardorum*, *& etiam traditione multorum*, literis conſignavit. Has Petri literas totas vulgavit Baronius A. D. 725. §. II. & quaſi totas Johannes Rivius in Vita Auguſtini libro IV. cap. XII. Michael Alfordus majorem partem in ſuos Annales Britannicos tranſtulit tomo III. pag. 483. & Joſephus Ripamontius in Decade I. Hiſtoriarum Eccleſiæ Mediolanenſis libro IX. pag. 565. eas ſuis verbis expreſſit. Quædam tamen in iiſdem literis magno Annalium conditori diſplicuerunt, ut ex ejus caſtigationibus margini illarum adſcriptis colligimus. Hæc vero ſunt: affectate diſtincta, & nimis accurata, non tamen vera, annorum ſupputatio, quibus ſingula contigiſſe narran-

rantur. Etiam æræ noſtræ vulgaris ſemel iterumque injecta mentio, quæ ſæculo VI. ineunte a Dionyſio Exiguo privatim diſpoſita, & ſolum poſt Carolum Magnum publico uſu in Italia recepta eſt, nullo modo probari poteſt; atque eo minus Carolum ipſum a Petro *Magni* elogio honeſtari, quod non ei ſuperſtiti, ſed uni Carolo Calvo datum fuiſſe Mabillonius obſervavit in Analectis tomo I. pag. 434. & tomo II. pag. 423. Neque ipſe Carolus Magnus in ſuis diplomatibus, per aulæ ſuæ notariorum, ea conſcribentium, manus, ante ſibi traditam Imperii dignitatem a Leone III. Pont. Max. *Magni* elogium cum aliis uſurpavit. Ad hæc ipſi *Petro* recentioris *Oldradæ* familiæ cognomen in literis affigitur contra ac illius ævi mores ferebant, gentiliciis noſtris familiarum cognominibus nondum auditis, ut periti norunt. Præterea ipſemet Petrus contra novam & veterem omnium ſæculorum diſciplinam & morem, poſt nomen ſibi attribuit anticipatum illud *Oldradæ* gentis cognomen, quod epiſcopi nec etiam poſt exortam *Oldradam* familiam ſibi unquam tribuere conſueverunt. Et ſane in perantiquis & genuinis Mediolanenſium Archiepiſcoporum tabulis, quas Johannes Petrus Puricellus, Ferdinandus Ughellus, Godefridus Henſchenius, Mabillonius, aliique vulgarunt, hic *Petrus*, ævi Carolini Archiepiſcopus, nullo prorſus familiæ cognomine inſignitur: qua de re inſpiciendus Alcuinus, ad eundem Archiepiſcopum ſcribens epiſtolam LIX. pag. 1574. operum editionis Andreæ Quercetani. Neque enim *binominis*, ſed cognomine ſuo reapſe diſtinctus fingitur initio epiſtolæ, inque Puricelli commentariis ad *Monumenta* Baſilicæ Ambroſianæ pag. 14. & 52. in quibus tamen *monumentis* iſtud *Ol-*

CAP. XII. *dradi* cognomen omnino abeſt. Vide quæſo, ſi tanti res eſt, Hagiologos Bollandianos tomo VII. Maii pag. LXVIII. §. 68. & Pagium A. D. 725. §. II.

XII.
Petri Mediolanenſis epiſtolæ fundi veritas comprobatur.

PAgio tamen, totam Petri epiſtolam rejicienti, nequaquam adſentior. Fundi ejus potiorem partem veram eſſe arbitror, ſed a quopiam ſemidocto ex iis, qui nunquam deſunt, alicubi interpolatam. In epiſtola enim ſingularia nonnulla, apud antiquos ſcriptores alibi lecta, & veritati conſona recenſentur. Hujuſmodi ſunt, *Petrum* Ticinenſem epiſcopum Liutprando auctorem fuiſſe, ut corpus ſancti *Auguſtini* ex manibus Saracenorum *magno pretio* redimeret. Hujus *Petri* (Sanctorum canoni adſcripti in Martyrologio Romano die VII. Maii) & cujuſdam ejus Levitæ epitaphia edidit Guillelmus Fleetwoodus in Sylloge inſcriptionum antiquarum pag. 467. Unde liquet, eundem *Petrum*, Liutprandi Regis cognatum, teſte Paullo Diacono libro VI. cap. LVIII. ſub illo floruiſſe ab exſilio Spoletano revocatum, quo Rex Aripertus eum, ut Liutprandi conſanguineum, ſibique ſuſpectum, multaverat. In epiſtola Petri Mediolanenſis fit mentio *Gratiani Novarienſis* epiſcopi, adventuſque *Auguſtiniani* corpuſculi Genuam, quod poſtea Liutprandus Dertonem & ad prædium *Saviniarienſe* cum epiſcoporum & procerum comitatu, ſumma religione ſociavit. Hæc diſertis teſtimoniis, aliunde petitis comprobari audiemus. *Gratianus* ille *Novarienſis* Concilio generali VI. ſubſcripſit A. D. 680. apud Labbeum tomo VI. pag. 700. nihilque obſtat, quominus uſque ad A. D. 722. commode vitam protraxerit, præſertim quum Novarienſes epiſcopi *Gratiano* poſteriores, quos nulli annorum cardini inni-

innixos uſque ad Carolum Magnum, protulit Carolus a Baſilica Petri in Hiſtoria Eccleſiæ Novarienſis libro II. pag. 277. plurimo examine indigeant.

CAP. XIII.

XIII. Exteri auctores translationem Auguſtiniani corporis ex Sardinia Ticinum factam teſtantur.

SEd Philippus Eleemoſynarius, cumque eo Anonymus Altiſſiodorenſis in Chronico Stroziano, a me nuper adducti, eadem ferme ac Petrus ille Mediolanenſis de translatione oſſium *Auguſtini* literis tradiderunt: atque hoc eſt, quod ajebam, fundum epiſtolæ omnino eſſe verum. Uterque longe ab Italia floruit ſæculo XII. antequam *Oldradæ* familiæ nomen fortaſſe audiretur; prior quidem in Gallia Celtica, alter in Gallia Belgica. Philippus ergo in Vita Auguſtini pag. 726. ſcribit, Liutprandum *in honore beati Petri Apoſtoli trans muros civitatis Papiæ Baſilicam ædificaſſe, quam, inſignem ornatu regio, Cellam auream nominavit*: quumque eidem Baſilicæ amplius ornandæ ſollicitum ſtudium impenderet, corpore ſancti *Auguſtini* illam ornare decrevit. *Ajebat enim, Eccleſiam ſuam digno fulgore clareſcere, ſi tanto mereretur theſauro clareſcere*: verba ſunt Philippi Abbatis. Hæc produnt, ædem ſancti Petri ante, non poſt *Auguſtini* oſſium translationem, a Rege *ædificatam*: qui, nuncio accepto de Saracenis Sardiniam ita depopulantibus, *ut locus ille venerabilis, in quo beatus Auguſtinus diu* HONORIFICE *requieverat, contemptui haberetur*, *Legatos ſuos cum multo auri & argenti pondere illuc deſtinavit & orans & orando impetrans, ut vel prece vel pretio, quolibet ingenio, ſanctum illud corpus de Sardinia tollere, & ſibi niterentur adferre. Illi vero injunctum ſibi, fideliter exequentes officium, Sardiniam profecti ſunt, & aſſumto corpore, dato* MULTO PRETIO, *cum gaudio reverſi ſunt: cumque ſacro pi-*

CAP. XIV. *gnore*, *Genuenſis* (non *Menienſis*, ut errore librarii legitur in editione Duacena) *civitatis portum intraverunt*, *ibique jactis anchoris aliquantiſper quieverunt*. Sacro pignori obviam factus Liutprandus, quum ad Dertonenſis epiſcopatus *vicum regium pervenißet*, qui vulgo *mons Samarius* (alias *Saviniarius*, vel, ſi Ripamontium audimus, *Savinarienſis*) appellatur, inde Ticinum magna religione illud, ſe præſente, perducendum curavit, ubi in æde ſancti Petri *honorifice* conditum, ait Philippus, aliique ſcriptores.

XIV. Idem teſtes de puteo in Confeſſione ædis ſancti Petri in Cœlo aureo locuti.

Jam vero Anonymi Stroziani, eidem Philippo Abbati ſupparis, & conſoni, totam rei narrationem, ipſis ejus verbis, nondum editis, expreſſam audiamus: *Anno Leonis* IIII. (immo V.) *Liutprandus Langobardorum Rex audiens*, *quod Saraceni*, *depopulata Sardinia*, *illa etiam loca fœdaſſent*, *ubi oſſa beati Auguſtini ob vaſtationem barbarorum*, *olim ab Hippone translata & recondita fuerant*, *Legatos ſuos illuc direxit*, *qui*, *dato magno pretio*, *pretioſas illas reliquias ſecum devexerunt*, *& ad urbem Genuenſem regreſſi ſunt*, *ubi præfatus Rex occurrens cum gaudio*, *corpus almificum devote adoravit & reverenter excepit*, *viſis nimirum miraculis*, *ad declarandum ſancti meritum ibi patratis*. Liuthbrandus enim, ut ait Philippus, *cognito*, *quod voti compotes redierant nuncii*, *multo ſtipatus milite*, *illuc eis lætabundus occurrit*, *& ſanctum illud corpus flexo genu*, *ruens in faciem*, *humiliter adoravit*: *in cujus præſentia per beatum Auguſtinum multa illic Deus miracula operatus eſt*. Pergit deinde Anonymus Strozianus: *Sane Rex & ſui inde progreſſi cum pretioſiſſimo illo theſauro*, *iverunt ad quandam villam*, *in Dertonenſi epiſcopio ſitam*,

tam , *ubi* [moræ] *impatientes* , *cum inde corpus ſanctiſſimum tollere voluiſſent* , *ita ſtetit immobile* , *ut nulla vis* , *nulla poſſet ars humana movere* . *Quod videns Rex*, *votum vovit*, *quod*, *ſi beatus confeſſor ex loco illo ſe tolli permitteret* , *&* *conduci Papiam* , *villam cum omnibus appendiciis ſuis concederet* , *ſervientibus illi perpetuo poſſidendam* . *Voto facto* , *atque firmato* , *corpus ſanctiſſimum inæſtimabili facilitate ſuſtollitur* , *&* *Ticinum verſus tranſvectum* , *clero pariter &* *populo concurrente* , *honorifice &* *gaudenter excipitur* , *& in Baſilica beati Petri* , *quam præfatus Rex conſtituens*, *Cælum aureum dixerat*, *digniſſime collocatur* . *Facta eſt autem translatio anno Domini* DCCXXI. (immo DCCXXII.) CCLXXXI. *annis ab ejuſdem confeſſoris tranſitu jam decurſis* ; potius CCLXXXXII. Tot enim fluxerunt ab A. D. 430. quo obiit *Auguſtinus* , ad A. D. 722. quo ejus corpus Ticinum tranſlatum eſt . Philippi etiam librarium corrigas velim , qui habet CCLXXX. pro CCLXXXXII. numeralibus notis ob librariorum incuriam facile corruptis . Anonymi Stroziani verba recitare pergamus : *Quod autem in prædicta Eccleſia corporis ejus pretioſus theſaurus ſit reconditus* , *ſtupendo* , *& evidenti miraculo eluceſcit* . *Siquidem in crypta Eccleſiæ* , *in qua jacet* , *puteus eſt* , *qui quotannis in die feſti ſuper nudam totam cryptam pereffluit* , *ut ſignum* , *quod* , *ſicut aqua illam diluit* , *ſic ſordes hæreſeon ab Eccleſia effluens ejus doctrina deterſit* . Hucuſque Anonymus Strozianus in Chronico Altiſſiodorenſi , ut foris inſcribitur, propterea, ſi bene auguror , quod de cœnobio quodam ejus civitatis ſedulo agat: quodque ab orbe condito incœptum, deſinit a prima manu A.D. 1199. Rem eandem perſequitur Vincentius Bellovacenſis in Speculo hiſtoriali libro XXIII. cap. CXLVIII. & Ber-

CAP. XIV. Bernardus Guidonis in Chronico M.S. iiſdem ferme verbis ac Anonymus Strozianus; unde manifeſtum redditur, eos æque ac Philippum Eleemoſynarium, & fortaſſe etiam Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum libro III. cap. CLXI. ex uno priſco fonte ſuam narrationem hauſiſſe. Hi tamen omnes *Oldradum* indictum prætererierunt. Sicut Reliquiæ ſancti *Auguſtini* in agro Dertonenſi *immobiles* conſtiterunt; ita etiam Reliquias ſancti *Wigberti* in agro Buriburgenſi *immobiles* conſtitiſſe teſtatur Servatus Lupus in ejus vita, Sæculo III. Benedictino, Parte I. pag. 678. cap. XIV. Codex Strozianus olim pertinuit ad quendam Veronenſem, qui A. D. 1389. uxorem duxerat *Margaritam de Ravano*. Familia hæc Veronenſis *de Ravano*, *a Carceribus* nuncupata, fuit olim præpotens, Inſulamque Euboeam, vulgo *Nigropontem* in mari Ægæo, jure beneficiario Reipublicæ Venetorum poſſedit a tempore Ducis Petri Ziani. Illud prodigium *putei*, cujus aqua etiamnum pie bibentibus ſalubris eſt, & de qua in literis Leonis X. Pont. Max. poſtea laudandis, inque Breviario Auguſtiniano die XXVIII. Februarii fit mentio, jam deſiiſſe, nemo demirabitur, qui ſanctam pietatem, veteremque religionem defeciſſe animo repetere voluerit. Quamobrem & alia ei conſectaria deſierunt, *ne anima ſemper viſibilia quæreret*, ut appoſite ait *Auguſtinus* mox proferendus. Hujuſmodi miracula non pauca refert vir ſumme doctus Carolus Cangius, & *conſueta* appellat in notis ad librum XIII. Alexiadis Annæ Comnenæ pag. 389. Præcipuum, nec certe nobis hoc loco prætereundum, eſt illud, quod complures graviſſimi auctores paſſim memorant de *divino igne* cœlitus emiſſo, quo, ad ſanctum Chriſti ſepul-

pulcrum appenſæ lampades quotannis *magni Sabbati die* ſub horam veſpertinam accendi ſolebant. De *oleo* prodigioſo ſanctæ Walpurgis librum ſcripſit Jacobus Gretſerus. Alia *conſueta* in Sanctorum conditoriis miracula ſuggerit Bollandus in notatiuncula ad vitam ſanctæ Thiadildis Virginis tomo II. Januarii cap. x. pag. 1159. Sique hæc eſſe deſierunt, alia tamen non deſunt. Audiatur Auguſtinus libro I. Retractationum cap. XIII. §. 7. *quod dixi*: nec miracula iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne anima ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagravit; *verum eſt quidem: non enim nunc uſque cum manus imponitur baptizatis, ſic accipiunt Spiritum ſanctum, ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc uſque ad umbram tranſeuntium prædicatorum Chriſti, ſanantur infirmi; & ſiqua talia facta ſunt, quæ poſtea ceſſaſſe manifeſtum eſt. Sed non ſic accipiendum eſt quod dixi, ut nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur*. Translationem noſtram vetuſtiora Martyrologia Bedæ, Adonis, Uſuardi, Wandelberti, Rabani Mauri, & Notkeri conjiciunt in diem XXVIII. Auguſti, qui eſt dormitionis beati *Auguſtini*. Die tamen XXVIII. Februarii eadem translatio recenſetur in veteri Kalendario apud Franciſcum Mariam Florentinium in notis ad Martyrologium pag. 354. in Martyrologiis, a Bellino, Franciſco Maurolyco, Petro Galeſinio, & Baronio vulgatis, inque Breviario Eremitarum ordinis ſancti Auguſtini. Hac die acceſſit etiam Uſuardo in editionibus Lubecenſi, Colonienſi, & Johannis Molani. Wandelbertus hoc carmine feſtum illud expreſſit:

Au-

CAP. XV.

Auguſtine Pater, feſto celebraris eodem,
Aurea quem SERVANT *Italis* NUNC *templa ſepultum.*

Ergo tempore Wandelberti, qui Prumiæ floruit medio ſæculo IX. omnibus, longe etiam ab Italia conſtitutis, probe erat cognitum, ubi corpus *Auguſtini* requieſceret. Id oſtendit vocula NUNC; nimirum Ticini, non quidem in *profundo & ſecretiſſimo loco*, ut pridem falſo ſpargi cœptum eſt, ſed in veneranda, cunctiſque Chriſtianis notiſſima *Confeſſione* Baſilicæ sancti Petri in Cœlo aureo.

XV.
Auguſtinus in eadem Confeſſione, pro eo ſolo recipiendo conſtructa, honorifice conditus.

SEd Philippus Eleemoſynarius translationem confert in diem XI. Octobris. Unde vero hunc diem & menſem Philippus expreſſerit, ignoramus; ſed ex ipſis veteribus actis, quæ compilavit, expreſſiſſe dicendus eſt. Menti obverſatur, magni Patris lipſana Ticinum fortaſſis advecta die XXVIII. Februarii, deinde *Confeſſioni*, quæ tunc exſtrui debuit, illata die XI. Octobris, vel vice verſa. Aliquod enim tempus intercedere debuit. Verba Philippi Abbatis referamus: *ſanctum illud corpus, omni difficultate remota, bajuli ſuſtulerunt, & aggredientes iter optatum, Papiam cum gaudio pariter devenerunt. Præcurrentibus autem nunciis, lætitia ineffabili tota civitas commota eſt, & utriuſque ſexus innumera multitudo cum hymnis & canticis in obviam egreſſa eſt, qui laudantes Dominum, cujus incomprehenſibili gratia tantas Reliquias ſuſcipere meruerunt, ad Baſilicam regiam revertentes, eas ibidem quinto idus Octobris* HONORIFICE *repoſuerunt*; licet in Breviario Eremitarum ordinis sancti Auguſtini hac ipſa die officium de *prima* Auguſtini Hippone in Sardiniam translatione celebretur. In Auctariis ad Uſuar-

Uſuardum die xxiv. Aprilis recenſetur *Commemoratio beati Auguſtini epiſcopi*: cujus feſti cauſſam a Bollandianis ignoratam, nos perinde ignoramus. Jam vide, quanta religione maximi Eccleſiæ Doctoris exuviæ redemtæ! Quo triumpho Genuam ac Dertonem advectæ, & a Rege exceptæ! Quanto populorum gaudio Ticinum allatæ! Fama nimirum *Auguſtini* ſanctitatis & meritorum ob ſcripta auro & cedro digniſſima, quibus pro catholica Fide contra omnis generis Dei hoſtes, Gentiles, Judæos, hæreticos, ſchiſmaticos, Manichæos, Arianos, Donatiſtas, Priſcillianiſtas, & Pelagianos invictus Chriſti miles ſtrenue certaverat, poſteris etiam arma in eos ſtringenda relinquens, omnium animos atque aures impleverat. Sed & alia Philippi verba exhibeamus, quæ rem tantam rurſus inculcant, & *Auguſtinum*, non jam, ut privatum quempiam Doctorem, ſed, ut ſummum totius Eccleſiæ magiſtrum, commendant; quippe cui ſumma Eccleſiæ capita ſummum ſemper honorem haberi voluerunt. Ita vero loquitur Bonæ Spei Abbas: *Felicem illam Eccleſiam* (ſancti Petri in Cœlo aureo) *quæ tantas Reliquias in præſentiarum meruit continere, quas* universus *orbis terrarum non meretur in perpetuum retinere! Si debent credi quæ forte videntur incredibilia, credite qui legitis, credite qui auditis: mallem, Eccleſiam noſtram ditari & ornari oſſibus* Augustini, *quæ in Eccleſia Papienſi continentur, quam ſericis veſtibus, quæ multæ, ut audivi, in foro Papienſi venales inveniuntur. Mallem, in Eccleſia noſtra conſervari pretioſas* Augustini *Reliquias, quam pompoſas Crœſi divitias. Jure itaque hujus Reliquiis Apoſtolica Petri gaudet Eccleſia, de cujus conſortio ipſe Petrus lætatur in Curia.* Hæc *Curia* eſt *Eccleſia Romana*, ubi Philippus ait, *Petrum*

Cap. XV.

CAP. XV. ipſum lætari *conſortio Auguſtini*. Hinc Thomas Cantipratanus in opere, quod inſcripſit, *Bonum univerſale de Apibus*, libro II. cap. I. §. 5. pag. CXI. editionis II. Georgii Colvenerii, eam elogio *ſanctæ Curiæ Romanæ* appellavit. *Sancta* enim *Eccleſia Romana* appellatur, & temere agunt (non certe, ut Catholici) qui hanc *ſanctam Curiam*, ſive *Eccleſiam Romanam*, proſcindere non verentur. Horum unius non ferendam audaciam, qui, omni pudore abjecto, in hac luce hominum id facere geſtiit, nos alibi fregiſſe meminimus. Uſuardi & Miſſalium codices occurrunt, *ad uſum*, & *ſecundum morem* vel *conſuetudinem Curiæ*, ideſt Eccleſiæ, *Romanæ*, olim inſcripti. Gerohus Reicherſpergenſis, ſæculi XI. ſcriptor, *Eccleſiam*, quam *Curiam* dici maluiſſet. Quoniam vero *Curia* paſſim pro *Eccleſia* dicta eſt, *ſancta* etiam dici merito debuit. Ceterum optimus ille Bonæ Spei Abbas a Dionyſio Petavio magni fit, & ſæpe laudatur in libris de Eccleſiaſtica Hierarchia. Nota vero contra litigantium cavillationes, a Philippo, ut in ſarcophago ſcriptum fuerat, *Auguſtinum*, ſine *Sancti* prænomine ſemel atque iterum ſcribi. Hæc ad declarandam utramque translationis hiſtoriam, ex auctoribus non proletariis dicenda nobis fuerunt. Hi vero ad unum omnes teſtantur, ſancti *Auguſtini* corpus uſque ad ſæculum octavum *honorifice* in *Sardinia* ſervatum, fortaſſe Calari in æde beati Saturnini, prope quam Fulgentius cœnobium ſtruxit, ex ejus Vita cap. XXVII. Æqualium itidem & poſteriorum voces teſtantur, *Auguſtinum* a Rege Liutprando *honorifice*, atque, ut Beda ait, *cum debito tanto Patri honore, conditum* in baſilica ſancti Petri in Cœlo aureo, toto orbe vidente, ibidemque ad noſtra uſque tempora ſummo omnium cultu & veneratione diſtin-

ſtinctum. Hoc ſanctiſſimi, & ubique gentium ſpectatiſſimi Doctoris corpus utique merebatur. Et niſi hoc poſtea factum fuiſſet; cur legationes in *Sardiniam* miſſæ? Cur tanta auri vis in eo uno dumtaxat (non vero aliis) ex Barbarorum manibus redimendo, impendi debebat? Cur tam ſolemnis occurſus, inque eo uno excipiendo regius apparatus?

CAP. XVI.

XVI. Honor præſtitus Auguſtiniano corpori, idem fuit ac martyrum; neque id fuit unquam ex Confeſſione alio translatum.

JAm vero quiſnam fuerit *debitus tanto Patri honor*, a Liutprando Rege curatus, pariterque exhibitus, quem veterum ſcripta tantopere exaggerant, inveſtigemus. Ex ſacra illorum temporum diſciplina hunc facile aſſequemur. Phraſis, qua memorati ſcriptores depoſitionem *Auguſtini* in baſilica ſancti Petri factam narrant, cum ea convenit, qua Victor Tunnonenſis in Chronico expreſſit depoſitionem ſancti Antonii Abbatis, Alexandriæ factam ſæculo VI. Dabimus verba ipſa Victoris: *poſt Conſulatum Baſilii* (A. D. 562.) *corpus ſancti Antonii eremitæ repertum, cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in baſilica ſancti Johannis Baptiſtæ* HONORIFICE *collocatur*. Corpora Sanctorum Martyrum *ſub altari*, vel *juxta altare* collocabantur. Corpus ſancti *Auguſtini* ſub *medio ſuperiori altari* baſilicæ ſancti Petri, & *juxta altare* inferius in *Confeſſione*, pro illo uno dumtaxat excipiendo, ſervandoque, non pro ullo alio, conſtructa, poſitum eſt. *Honor* hic, olim unis *martyribus* in Eccleſia catholica fieri ſolitus, ceteris præſtat. Quippe martyrum *honor* in Eccleſia fuit ſemper omnium maximus, de quo conſulendus Theodericus Ruinartus in præfatione ad Acta Martyrum pag. LXXIV. num. 70. editionis II. Quid ſit *Confeſſio*, patet ex notis Baro-

 nii

CAP. XVI. nii ad Martyrologium die VI. Julii, & mox aliunde fuſius patebit. Ergo sanctus *Auguſtinus*, confeſſor & pontifex, eodem loco ac *Martyres* habitus eſt. Hoc ipſum infra manifeſtabitur. Sanctus Ambroſius in epiſtola olim LXXXV. nunc XXII. claſſe I. tomo II. operum editionis novæ pag. 874. §. I. ait, corpora Chriſti *martyrum Gervaſii & Protaſii* ANTE *cancellos* beatorum Felicis & Naboris ab ſe reperta, & mox SUB *altari* depoſita: *iſti* SUB *altari* (condantur ſcilicet) iterum ait pag. 877. §. 13. At frequenter poſtea Sanctorum exuviæ *juxta ipſum altare* conditæ ſunt. Sic certe *Auguſtini* corpus, regnante Liutprando, ſub *altari* baſilicæ, & in *Confeſſione* ipſa *juxta aliud altare honorifice* conditum eſt. Hujus *Confeſſionis* magnificentiam prædicat Ripamontius Decade I. libro IX. pag. 563. Tanto Eccleſiæ Doctori, in *arca argentea* poſito, locus *honorificentior* adſignari non poterat, quam in *Confeſsione ſub altari*, & *juxta* menſam, incruento Chriſti Domini ſacrificio paratam in eadem *Confeſſione* baſilicæ sancti Petri in Cœlo aureo: qui locus unis martyribus more majorum dari conſuevit. *Crypta*, & locus *ſubterraneus*, ubi Sanctorum corpora & Reliquiæ *honorifice* condebantur, a majoribus noſtris *Confeſſio*, alias *martyrium*, quod idem eſt, dici conſuevit, quia *martyres*, fidem Chriſti coram Tyranno *confeſſi*, & *Confeſſores* propterea dicti, in ea recondebantur. Inde *Reliquiæ* Sanctorum, arcanæ ſignificationis vocabulo *glebæ* etiam a ſcriptoribus eccleſiaſticis non raro appellatæ. Mabillonius de Reliquiarum conditorio ex ſacris veterum Patrum monumentis agit in Liturgia Gallicana libro I. cap. IX. pag. 82. inque præfatione ad Sæculum II. Benedictinum pag. XXXII. De eadem re pariter agens

CAP. XVI.

agens conſuli poteſt Johannes Ferrandus in Diſquiſitione reliquiaria libro I. cap. III. ſect. IV. pag. 116. Præter *Confeſſionis* nomen, *ſacelli* quoque, *oratorii*, *ſolii*, & *cubiculi* appellationes ad eam indicandam uſurpari, docet Heribertus Roſweydus in notis ad Paulinum Nolanum pag. 811. editionis Plantinianæ. Plures hujus exploratiſſimæ diſciplinæ inſignes teſtes adducimus, ne ullus rei tam luculentæ ac paſſim obviæ tenebras offundere audeat. Adi tamen, ſi lubet, etiam Ludovicum Cerdam in Adverſariis ſacris pag. XIX. num. 2. & Julium Cæſarem Bulengerum in Opuſculis tomo I. libro III. de Templis pag. 90. ubi ex vulgati Anaſtaſii libro pontificali in hanc rem loca plurima congerit. Aliquid etiam me dicere memini in Commentario de ſancta Columba. Quædam pariter dicit Carolus Cangius in Gloſſario latino v. *Confeſſio*. Sed non prætereundus eſt locus inſignis ex Cæremoniali Epiſcoporum lib. I. cap. XII. §. XVI. Rem enim noſtram extra omnem dubitationem ponit & mirifice illuſtrat, cunctiſque certum locum digito oſtendit, ubi corpus *Auguſtini* requieſcit. Verba Cæremonialis hæc ſunt: *locus*, *qui in pleriſque eccleſiis* SUB ALTARI MAJORI *eſſe ſolet*, *ubi Sanctorum martyrum* CORPORA *requieſcunt*, *martyrium*, *ſeu* CONFESSIO *appellatur*. Corpus ergo *Auguſtini* extra hunc locum, in Cæremoniali epiſcoporum certo deſignatum, quærendum non eſt, nec fuit unquam. Itaque falluntur & fallunt qui loca alia comminiſcuntur, in quibus *Auguſtinum* latere jactitent, nimirum I. In *profundo & ſecretiſsimo loco*; ſed prorſus conficto, neque ubinam gentium ſit, commonſtrato. II. Poſt ſacellum ſancti *Appiani*, ut mendax inſcriptio falſo teſtatur. III. In æde ſanctæ *Moſtiolæ*. IV. In opi-

do

CAP. XVI. do *Mortariæ*. Hæc enim loca ad unum omnia non ſine magna & putidiſſima inconſtantiæ nota, quæ mendacia ſemper, nunquam veritatem comitari ſolet, celeberrimo Patri Montefalconio Ticini a nonnullis recitata fuerunt, tanquam corpus illud ſanctiſſimum cuſtodientia, ut hoc pacto tanti viri cogitationem a vero ejus conditorio, tunc recens omnium plauſu reſerato, aliorſum averterent, eundemque in ſuas partes tractum ludificantes, extra *Confeſſionem* in alia *quatuor* inania & fabuloſiſſima loca ad verum *Auguſtini* corpus quærendum callide amandarent. Adi quæſo Montefalconii Diarium pag. 29. & 30. Sed vir ſumme doctus atque opido ſagax, inſtructoribus iſtis minime eguit, probe tenens, corpus *Auguſtini* extra *Confeſsionem* quærendum non eſſe. Unde vero hæc hauſta fuiſſe arbitramini? Ex *codice rubeo MS.* cujuſdam plani *Johannis Imperatorii*, qui primus his fabulis conſarcinandis ſtudioſam operam dare incœpit A. D. 1600. Sed *Confeſsionis* locum aliarum ædium explicare pergamus. Gervaſius Dorobernenſis, ideſt Cantuarienſis, in libro de Combuſtione, & reparatione ſuæ Cantuarienſis Baſilicæ, quæ ad formam Vaticanæ conſtructa fuerat, inter Anglicanos ſcriptores Rogeri Twyſdeni tomo I. pag. 1291. hæc, ſuperioribus conſona, habet, quæ nos mendoſis interpunctionibus, a Johanne Seldeno minime animadverſis, purgata exhibemus: *quam cryptam vel Confeſsionem Romani vocant*, SUBTUS *erat, ad inſtar Confeſsionis ſancti Petri fabricata, cujus fornix eo in altum tendebatur, ut ſuperiora ejus, nonniſi per plures gradus poſſent adiri*. Ita quoque eſt *Confeſsio* ſancti Petri Ticinenſis, ſervandis reliquiis *Auguſtini* conſtructa, quam æri inciſam hic damus. *Ejus fornix* (ſive *abſis* & *concha*

cha) *eo in altum tenditur*, *ut ſuperiora*, *nonniſi per plures gradus poſsint adiri*. Fornicem vides. *Gradus* etiam, quibus ex *Confeſsione* ad *ſuperiora* tenditur, vides. In antiquis Martyrologiis ſancti Adonis, & Uſuardi, inque Romano etiam die VI. Julii memoratur *Confeſsio* baſilicæ ſancti Paulli in via Oſtienſi, ubi orantem ſanctum Tranquillinum pagani lapidibus obruerunt. Hæc ipſa *Confeſsio* etiamnum ſupereſt.

XVII.

Confeſſionis vocabulum magni faciendum. Sex Auguſtiniani corporis translationes confictæ omnes.

C*Onfeſsionem* ergo, non *confeſſorium*, nec certe *ſcurolum*, vocabulo inuſitato, plane ſuo, ac prorſus municipali, ſeu mavis Langobardico, non ſane communi Italico, nec latino, Ticinenſes in ſcriptis hac de re editis appellare debuiſſent *cryptam* eam *ſubterraneam*, in qua corpus *beati Auguſtini*, more martyrum, juſſu & cura Liutprandi Regis depoſitum eſt. Fateor, me, hominem Italum, & Deo favente, minime barbarum, ad hujus *ſcuroli*, minime latini, minimeque Italici nominis novitatem, hæſiſſe, interpretis ope ſumme indigum. Hoc nomen genuinam rei tam ſanctæ ideam minime repræſentat, quam tamen *Confeſsionis* vocabulum, a majoribus noſtris non fruſtra efformatum, ſemperque in Eccleſia receptum, indicat. In ſcriptis rem tantam in publicum examen vocantibus, non voces proletariæ & municipales, immo extra Ticinenſis agri terminos ignoratæ, ſed latinæ communes, ſive eccleſiaſticæ a viris optimis uſurpari debuiſſent. Hæ tantummodo ſunt, quas ſæpe nos uſurpamus, præterea nullæ. Præ ceteris vox *Confeſsio* illum, ab antiquis auctoribus adeo exaggeratum *honorem*, ſancto *Auguſtino debitum*, & exhibitum, nobis in mentem reducit, non certe aliæ vernaculæ & re-

cen-

CAP. XVII. centiores. Iſtud Ticinenſium *ſcurolum* nuper decepit Claudium Caſtellanum, in rebus Sanctorum magna cum laude verſatum. Quippe in Martyrologio ſuo univerſali pag. 1074. cenſuit, nos Italos generatim *ſcuroli* nomen pro ædium ſacrarum *Confeſsione* uſurpare: quod perinde eſt, ac ſi nos Itali generatim voces Arvernas, & Vaſconicas toti reliquæ Galliæ tribueremus. Quæſo vos, optimi viri, ad avertendas noſtratium & exterorum ambages, non amplius *ſcuroli*, ſed ab Eccleſia tradito *Confeſſionis* vocabulo utimini. Namque hoc unum *Auguſtiniano* corpori vindicando ſufficit, quod unum in ea depoſitum, unum in ea repertum eſt. Hæc fuſius a me ingeſta eo pertinent, ut æqui rerum judices animadvertere non graventur, *corpus beati Auguſtini* ad univerſalis & ubique gentium tunc pervulgatæ diſciplinæ eccleſiaſticæ regulas, *debito tanto Patri honore*, alibi conditum non fuiſſe, nec condi potuiſſe, quam in ſola *Confeſſione* baſilicæ ſancti Petri in Cœlo aureo, propterea ſumtu regio ibidem conſtructa; unde quoque nulla vera cauſſa fuit unquam, cur alibi recondendum, clam extraheretur. Quem enim *metum Gallorum* obtrudunt, cum ſomniis reputandum facile vides; quandoquidem ſi hujuſce *metus* epocham ſciſcitaris, nunc ad ſæculum VIII. pavidi convolant, nunc ad ſæculum IX. & X. nunc tandem ad ſæculum XIII. XIV. & XVI. mœſti incertique ſalutis confugiunt, poſt celebrem illam atque omnibus notam & veram a Liutprando translationem factam, *ſex* alias minime veras, ſibique unis notas pro ſuo arbitrio ſomniantes, ne verum *Auguſtini* corpus dudum repertum fateantur. At fabulas iſtas aniles, ſero nimis excogitatas & male compactas, prorſus convellunt eorumdem ſæculorum

rum teſtes pontifices & epiſcopi Ticinenſes uſque ad noſtram ætatem una voce diſertum de *Auguſtini* corpore in *Confeſsione* ſervato teſtimonium perhibentes. Riſum in re tam gravi tenere vix poſſumus, ubi iſtum *Gallorum metum*, in editis forenſibus libris ad nauſeam obtruſum, recogitamus. Siquidem ajunt, quoſpiam *Canonicos regulares*, quos nominatim, ſi Deo placet, vocare non dubitant *Baſilium* & *Florentium*, ob *metum Gallorum* A. D. 774. corpus beati *Auguſtini* clam ex *Confeſsione* ædis ſancti Petri in Cœlo aureo abſtuliſſe, inque alio loco (quem tamen dicere nolunt) clam pariter collocaſſe. At, boni, ſerionè, an jocoſe ex veſtro illo famoſo *codice rubeo*, nudiustertius clam fingi & compingi cœpto, hæc ſimplicioribus venditatis; rati nimirum a ceteris ignorari quis primus ex *codice rubeo* (verius ex porta eburnea) hæc ſomnia foras emiſerit? Is fuit Gabriel Pennottus in ſua Canonicorum regularium Hiſtoria tripartita, Romæ edita A. D. 1624. ubi libro I. cap. XXXVI. num. VIII. pag. 116. col. 2. ſuo illo *metu Gallorum* Auguſtinianos terrere conatus eſt. Sed hic Pennottus vapulat a non meticuloſis Auguſtinianis, Petro Campenſi, Thoma Herrera, Aloyſio Taurello, Joſepho Sabbatino, & Cardinali Noriſio in *Quinquaginta ſomniis* feſtive excuſſis, ubi ait, Franciſcum Macedum ſua Somnia de Auguſtino ex Pennotto gratis accepiſſe, qui *ſuorum ſcriptorum papavere belle eum ſoporavit*. Quid vero, ſi duobus ſæculis poſt ſomnium illud de *metu Gallorum*, nos *Canonicorum regularium* nomen primo auditum fuiſſe credamus cum Mabillonio, viro in his rebus dijudicandis minime ſtulto, qui in Operibus poſtumis tomo II. pag. 110. *Hugonem Metellum*, *Canonicum regularem*

Cap. XVII. Abbatiæ ſancti Leonis in urbe Tullenſi, & ſancto Bernardo æqualem, adducit affirmantem, ſuos Canonicos tantum a *ducentis & eo amplius annis* primum florere cœpiſſe? Vivebat ille A. D. 1120. Sed cur diutius his immoramur, ſi *Canonici regulares*, etiamſi A. D. 774. fuiſſent in rerum natura, non tamen ipſi tunc erant (nec ſane fuerunt ante ſæculum XIII.) in Ticinenſi cœnobio ſancti Petri in Cœlo aureo, quod uſque ad Innocentium III. uni monachi ordinis ſancti Benedicti ſemper incoluerunt? Namque omnibus patet, eoſdem *Canonicos regulares* indulgentia Honorii III. qui Innocentio III. ſucceſſit, illuc primum inductos A. D. 1224. Honorianam bullam exhibet pag. 66. qualecunque eſt *Bullarium Canonicorum regularium ordinis ſancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis*, nudiustertius Romanis typis vulgatum, & num recte inſcriptum, *Bullarium Lateranenſe*, alii viderint. Non enim eſt *Bullarium Baſilicæ Lateranenſis*, ut non defuit qui ex libri titulo nimis facile crederet. Nos ergo probationibus veris, non fabuloſis, innixi, a ſacro *Confeſſionis* loco nunquam diſcedimus, ubi tandem, volente Deo, die 1. Octobris A.D. 1695. revera *Auguſtini* corpus fortuito repertum eſt. Extra hanc ipſam *Confeſſionem* nunquam reperiri potuit, nec ſane debuit. Sique extra illam repertum fuiſſet, maxime vereor, ut pro vero corpore *Auguſtini* haberi debuiſſet, quemadmodum habendum eſt tamen, repertum eo modo & loco, quem dixi, & amplius dicam. Rex enim Liutprandus *debitum honorem tanto Patri daturus*, tantum theſaurum extra eam *cryptam* ſeu *Confeſſionem* nequaquam poſuit, nec ponere debuit: neque inde fuit unquam alio translatus, neque alibi uſquam

re

reconditus. Priuſquam hujus poſtremæ inventionis hiſtoriam enarrandam ſuſcipio, de ipſa æde paucula mihi dicenda ſunt.

CAP. XVIII.


XVIII.
Baſilica sancti Petri in Cœlo aureo a Liutprando Rege conſtructa ob unum Auguſtini corpus in ejus Confeſſione deponendum, ubi ſemper quievit.

PAullus Diaconus in libro VI. cap. LVIII. de Geſtis Langobardorum auctor eſt, baſilicam & cœnobium sancti Petri in Cœlo aureo a Liutprando Rege originem habuiſſe. Verba ejus hæc ſunt: *Hic glorioſiſsimus Rex multas in Chriſti honore per ſingula loca, ubi degere ſolebat, baſilicas* CONSTRUXIT. *Hic monaſterium sancti Petri, quod foras muros Ticinenſis civitatis ſitum eſt, & Cœlum aureum appellatur*, INSTITUIT. Fortaſſe ab ædis concha & teſtudine aurata id nomen ſortitum fuit. Paulli auctoritas falſitatem arguit diplomatis Liutprandi a Pennotto editi lib. I. cap. LVIII. num. III. pag. 191. ubi Aripertus Liutprandi deceſſor, primus auctor fingitur Baſilicæ sancti Petri in Cœlo aureo: in quo quidem diplomate, præter alia, uſurpatur æra vulgaris, & *Marchiones* diſerte memorantur, licet nuſquam auditi ante ſæculum IX. Sanctus Zacharias pontifex cum Liutprando Rege de gravibus negociis collocuturus, Ticinum profectus, in hac ipſa æde ſemel atque iterum Miſſarum ſolemnia celebravit, teſte auctore æquali in libro Pontificali pag. CXI. editionis Moguntinæ, ſcilicet ob honorem *Auguſtini*, ibidem quieſcentis, ut non ſine cauſſa arbitramur. Gregorius V. A. D. 997. Indictione x. ibidem concilium habuit contra Antipapam Johannem XVI. ejuſque patronum Creſcentium, Romæ tyrannum. Hac de re conſulendus Daniel Papebrochius, in Paralipomenis ad Conatum pag. 84. num. 8. Atque hinc expungendi vel emendandi chronologici characteres fœde corrupti in diplo-

CAP. XVIII. mate.Ottonis III. apud Holſtenium in fine Collectionis Romanæ pag. 219. Cœnobium iſtud monachi ordinis ſancti Benedicti uſque ad Innocentium III. Pont. Max. incoluerunt. Tunc enim ob peremtum Abbatem monachis inde expulſis Canonici regulares ſuffecti ſunt. Rei teſtem habeo ejuſdem ſæculi hiſtoricum Belgam, ſancti Thomæ Aquinatis æqualem & condiſcipulum, Thomam Cantipratanum in *Bono univerſali de Apibus* libro I. cap. XXI. in fine. Canonici regulares illuc inducti ab Honorio III. A. D. 1224. ex Congregatione *Friſonariæ*, ab eccleſia Lucenſi beati *Frigdiani* corrupte ſic appellata; deinde ex cœtu *Mortariæ*, cujus, Gregorius IX. A.D. 1228. ſtatuit, cœnobium ſancti Petri eſſe caput ob reverentiam, ut ait, beati *Auguſtini* ibidem quieſcentis, nimirum in *Confeſsione*, ubi ſemper quievit. His additi *Eremitæ Auguſtiniani* a Johanne XXII. A. D. 1326. quod ejus conſtitutio anno XI. pontificatus edita prodit in Bullario Auguſtiniano Laurentii Empoli pag. 195. Jam ipſi, & *Lateranenſes* ad ſtatuta Bonifacii IX. alternis menſibus divina officia in media æde perſolvunt ad aram maximam, quæ, ut tetigi in Commentario de ſancta Columba, olim in ſingulis Eccleſiis una erat, quæque ibidem, ex ritu veteri, ortum ſolis reſpicit, licet porta ædis ad Occidentem vertatur. Non enim omnes priſcas Eccleſias fuiſſe portis ad Orientem verſis adnotavit vir pius & in ſacra antiquitate perdoctus Lazarus Andreas Bocquillotius in Tractatu hiſtorico de Liturgia ſacra lib. I. cap. II I. pag. 54. Conditorium Reliquiarum ſancti *Auguſtini* eſt ex parte *Eremitarum*, qui latus auſtrale Baſilicæ occupant, *Canonici regulares* Aquilonare, aut certe latus Evangelii, obſervante olim ſuis oculis Mabillonio, qui *Auguſtinum*



Conſpectus Confeſsionis, per medium sectæ, ædis Ticinenſis Sancti Petri in Coelo aureo, pro adſervando corpore Sancti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, a Liutprando Rege Langobardorum conſtructæ A. D. 722



EXPLICATIO


Numeri ad Conspectum et Ichnographiam æque refe: runtur.

1. Scalæ, per quas Auguſtiniani ad chorum supra Confessionem adscendunt
2. Scalæ, per quas Auguſtiniani in Confessionem descendunt
3. Scalæ communes in media Ecclesia, per quas ad chorum adſcenditur
4. Scalæ communes, per quas in Confes: sionem descenditur
5. Scalæ, per quas Canonici regulares ad chorum adscendunt
6. Scalæ, per quas Canonici regulares in Confessionem descendunt
7. Mausoleum Lateritium, inter puteum et altare surſum erectum instar cunei, sub quo A. D. 1695. reperta fuit arca marmorea intus habens arcam argenteam cum corpore sancti Augustini
8. Lampas, ante mausoleum perpetuo ardens, cui Augustiniani post A. D. 1695 duas alias addiderunt gemino vnco indicatas
9. Mensa altaris, cui insidet basis marmorea pro sustinendis candelabris, inter quæ exſtat vetus tabula picta
10. Puteus, inter quem et altare eſt corpus sancti Augustini
11. Receptaculum, in quod effunditur aqua, e puteo hausta


Ichnographia totius Confessionis Basilicæ Ticinensis sancti Petri in coelo aureo.

Io: Antonius Veneronius Ticinensium et Mediolanensium Architectus delineavit

Dominicus Franciſchinus incidit Romæ sup. perm. an. 1726.



Conſpectus Confeſsionis, per adſervando
corpore Sancti Auguſtini Hiſtructæ A. D. 722



ICATIO
ad Conspectum et
hiam æque refe:
untur

quas Auguſtiniani ad
upra Confessionem
ilum, in quod effundi:
, e puteo hausta

Ichnographia totius elo aureo.

Io: Antonius Veneronius Ticinensium et Mediolar Romæ sup. perm. an. 1726.

ſtinum ob Reliquias *præcipua* ibidem *religione coli* adnotavit. Sed quomodo ob *Reliquias coli* poterat, quæ non aderant, ſi Canonicos quidem regulares audimus? An vero non adeſſent, alii judicabunt.

CAP. XIX.

XIX.
Corpus Auguſtini in Confeſſione ſemper quievit, & quieſcere creditum eſt.

QUum ergo Kalendis Octobribus A.D. 1695. in *Confeſsione ſubtus* eandem aram maximam fabri murarii mane *alteram* ibidem *aram ſubterraneam*, ſolis ortum quoque reſpicientem, alicubi inſtaurarent, forte accidit, ut partem mauſolei lateritii *inter ipſam aram*, & *puteum*, ſeu *fontem*, aqua ſalutari manantem, caſu diruentes, ſarcophagum clauſum, ex parte detegerent. In mauſoleo, quod ſub concha ſurſum ibidem erectum, interque Confeſſionis *aram* & *puteum* collocatum patebat omnibus, corpus ſancti *Auguſtini* exſtare ſemper creditum eſt: idque omnes, illuc pietatis gratia confluentes, *Canonicis regularibus* propter *invidiam loci* contra, quanvis fruſtra, muſſitantibus, pro certo habuerunt, & nemo id unquam, præter ſolos *Canonicos*, in dubium vocavit. *Lampas* alternis menſibus, Canonicorum regularium, & Eremitarum cura (qui de ſuo duas alias addiderunt) perpetuo ibidem ardens, rei veritatem ſatis comprobat, judice Mabillonio, qui decennio ante ultimam ſacri corporis detectionem coram adfuit, remque propius ſe examinaſſe ait in Muſeo Italico tomo I. pag. 221. Certe univerſa civitas Ticinenſis *lampadem* illam perpetuo ibidem ante corpus *Auguſtini*, non alibi, ardere conſpiciens, magnum de *Auguſtini* corpore, ibidem, non alibi ſervato, veritatem amantibus teſtimonium perhibet. Summum virum loquentem audiamus: *attamen in crypta* SUB *altari*, *ubi corpora Sanctorum reponi* OLIM *ſolebant*, MAUSO-

CAP. XIX. SOLEUM *exſtat ex lapidibus coctis*, *& lampas ardens ante* MAUSOLEUM: *quod* INDICAT, *ibi* SUPERESSE (ut poſtea die 1. Octobris anni 1695. certo ſupereſſe compertum eſt) *aut aliquando* FUISSE *corpus ſancti Doctoris*, ut alii nimirum ab aliquo tempore ob *invidiam loci*, corpus Auguſtini *fuiſſe* quidem in mauſoleo, at non amplius *eſſe*, falſo ſparſerant. At poſtquam Dei nutu, corpus vere ibidem ſupereſſe compertum eſt, ne veritati cedere viderentur, ut tamen, ſi ſaperent, eidem cedere omnino debuiſſent, aliam viam inierunt, præfracte negantes, illud eſſe corpus beati *Auguſtini*, atque hoc alibi quærendum. Si percontaris quibuſnam veteribus actis & documentis innixi hoc dicant? Reſpondeo: prorſus nullis, præter ſui *Imperatorii codicem rubeum*, & Pennotti rhapſodias, quas *ſomniculoſis teſtamento reliquit*, ut lepide ait Noriſius. Pudet refellere quæ ipſi dicunt, adeo levia, & indigna ſunt quæ memorentur. Hoc unum memorare ſufficiat. Quamdiu mauſoleum intactum ſtetit, illud eſſe vacuum palam jactitarunt. Fuiſſe quidem in eo corpus ſancti Doctoris, at non amplius eſſe. Ubi poſtea non vacuum, ſed plenum, inque arca argentea corpus *Auguſtini* ibidem repertum eſt, tunc beati viri corpus alibi quærendum eſſe conclamaverunt. Quodnam vero majus offendiculum religioni Catholicorum, illuc pie confluentium, ut *Auguſtinum* propius venerentur, præberi poteſt, quam ſolos *Canonicos regulares* audire, qui illud ibi eſſe negent? Qui confluunt, interdum ſunt viri Principes, Auguſtæ, Reginæ, S. R. E. Cardinales, & Præſules, quibus in re tam gravi offendiculum præberi non debet. Sed quid dico viris Principibus? Nemini prorſus offendiculum præbendum eſt. Non puſillis, non quibuſcun-

cunque e plebe hominibus offendiculum, præſertim in religione, præbendum eſt unquam; atque illud præbenti indicta eſt terribilis comminatio Chriſti Domini apud Matthæum XVIII. 6. denunciantis, *ei expedire, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris*. Quid ſanctus Cæleſtinus I. de Chriſtianis ſenſerit, qui hujuſmodi offendicula aliis præbent, videndum eſt initio dogmaticæ ejus epiſtolæ ad Gallos.

XX. Corpus beati Auguſtini in mauſoleo lateritio detectum una cum ejus nomine duobus in locis appicto.

Itaque ad rei nuncium de *Auguſtino* reperto epiſcopales miniſtri, Canonici regulares, Eremitæ, atque alii mox accurrerunt, cumque his Cancellarius, qui hæc omnia, & ea, quæ ſubſequuntur, coram pluribus teſtibus, jurejurando de veritate dicenda obſtrictis, publica auctoritate in literas miſit. Jam vero ſingula ibi reperta, accurate recenſeamus. Sub mauſoleo lateritio in cruſta ex lapide ſtructili, literis colore nigro, quaſi *carbone* confectis, hiſque uncialibus, ſed ob vetuſtatem evaneſcentibus, lectum eſt, AUGUSTINO, ex primæva indole naſcentis Italicæ linguæ, veluti in caſu obliquo, & abſque prænomine *Sanctus*, more antiquiſſimo. Literas vero iſtas fuiſſe *Gothicas* nemo affirmavit in Actis, tanta auctoritate conſcriptis, quanvis in libellis forenſibus, tunc editis, hoc legatur. Conſtat, hujuſmodi coloratas literas, in cryptis ſubterraneis diu clauſas, obductaſque, ſtatim ac deteguntur, & lucem vident, evaneſcere. Hoc in ſacris veterum Chriſtianorum cœmeteriis urbanis non raro contingit, ubi nomina defunctorum minio etiam, diutius duraturo, in lapidibus ſepulcralibus interdum picta obſervavit Jacobus Boſius in Cruce triumphante libro I. cap. XI. pag. 63. Sed quaſi

CAP. XX. quaſi *carbone* vel fuligine in lapidibus ſcripta nomina defunctorum, animadvertit peritus & oculatus teſtis Marcus Antonius Boldettus in Commentario de Martyrum Cœmeteriis, quorum cuſtodiam a pluribus annis gerit, libro II. cap. I. pag. 328. Mox in mauſoleo lateritio detectus *albus* ſarcophagus marmoreus, undique clauſus. In tabula, anteriorem ejus partem obducente, pariter, ut in cruſta, ad funalia accenſa lectum ab omnibus, Augustino, more, ut dixi, antiquiſſimo, & ſine prænomine *Sanctus*: qua de re nuper aliqua dixi in Commentario ad Diſcum argenteum votivum veterum Chriſtianorum cap. XIV. pag. 38. 39. In marmore ipſo, poſtquam etiam color fuſcus literarum evanuit, earundem veſtigia ſuperfuerunt. Ita legimus in Actis publicis, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Ticinenſi ad ſummum Pontificem huc in Urbem tranſmiſſis. Lectum vero eſt duobus in locis nomen, Augustino, tanta facilitate ob diſtinctam magnitudinem uncialium characterum, ut ab ipſis etiam fabris murariis, ceteroqui parum ſolute legentibus, diſtingui & legi potuerit: quod ſacramento obſtricti, in tabulis actiſque publicis depoſuerunt. Hoc ipſum & reliqua ex iiſdem tabulis, publica tunc auctoritate conſcriptis, atque huc Romam, ut dixi, nuper tranſmiſſis, didicimus. Non certe lectum eſt, Agostino, ut forenſia ſcripta, typis edita, exhibent, & refertur ex eorundem ſcriptorum forenſium relatu ab amico noſtro Bernardo a Montefalconis in Diario Italico pag. 27. Leve hoc aliis fortaſſe videbitur; at mihi non ita; quandoquidem id nomen, Augustino, lingua latina obſoleſcente ſcriptum eſt, non tamen prorſus in vulgarem Italicam lapſa, qua ſcribitur Agostino, & non Augustino.

Heri

Heri ergo, aut nudiustertius nomen illud minime ſcriptum fuerat: idque etiam denotat prænomen *Sanctus*, omiſſum, ut dixi, ex more antiquorum. Huc facit eburneum Diptychon Brixianum *Manlii Boethii*, Conſulare primo, deinde ſacrum: quod referendum arbitror ad *Boethii junioris*, longe celeberrimi viri, Conſulatum II. qui incidit in A. D. 522. Illud æri inciſum, meque dictante, ſtudioſe deſcriptum, proſtat in Diario literatorum Italiæ tomo XXVIII. pag. 39. Pars ejus interior intra duos alios Eccleſiæ Doctores, *Hieronymum* presbyterum & *Gregorium* pontificem, antiquitus pictum exhibet *Auguſtinum*, ſupra quem legitur AUGUSTINU, ultima litera S, & *Sancti* prænomine omiſſis perinde ac ſupra reliquos duos Eccleſiæ Doctores, qui GERONIMU, & GREGORIU inſcribuntur, ex genio nimirum linguæ latinæ, in vulgarem Italicam abeuntis: cujuſmodi terminationis plurima exempla facile occurrunt. Hæc magnam illius picturæ interioris antiquitatem demonſtrant. Obſerva, in ſacro Diptycho illo interiori *Auguſtinum* maximi honoris cauſſa *Hieronymo*, & *Gregorio* medium locari. Solum vero nomen *Auguſtini*, ſemel iterumque Ticinenſi ſarcophago inſcriptum, hominibus æqui judicii ſanctæque veritatis cultoribus comprobare debuit, corpus, quod in eo claudebatur, certo eſſe sancti *Auguſtini*. In ſacris Martyrum cœmeteriis urbanis, martyris *nomen*, loculo inſcriptum, ſi alia non deſint, ſatis eſt ad martyrem cognoſcendum. Innumera indicia, innumeros & graviſſimos teſtes omnium ſæculorum habemus, uno ore clamantes, sancti *Auguſtini* corpus exſtare ibidem loci, ubi repertum eſt: ejuſque nomen, ſemel atque iterum ſarcophago inſcriptum, cur, quæſo vos, rei tam CAP. XX.

 cla-

 claræ adverſantes, ſufficere non debuit, ut certo certius illud *Auguſtini* corpus, quanvis non ex veſtra, ſed ex Eremitarum parte detectum, eſſe fatemini? Quid apertæ veritati, perperam negandæ, iniquius & abſurdius dici poteſt, ac ea, quæ vos dixiſtis? Verum ad *Auguſtinianum* ſarcophagum deſcribendum propius accedamus.

XXI.
Tres loculi ſepulcrales corporis ſancti Auguſtini.

QUatuor claves, vel ſi mavis, ſignacula ferrea, in totidem ſarcophagi partibus plumbo compacta, marmoream, quam dixi, tabulam ſuperiorem, unciam & ſemis craſſam, tanta vi ſingulis ſarcophagi partibus connectebant, ut neque iis malleo ictis, plumboque ex quatuor angulis detracto, tabula inde avelli ullo modo potuerit. Riſit nonnemo, ubi ex ſcriptis forenſibus didicit, in ſignaculis illis, plumbo obductis, nullius familiæ inſignia impreſſa apparuiſſe; quaſi vero tempore, quo facta ſunt, gentilicia familiarum inſignia, ut hodie, uſu jam obtinuiſſent. Tandem per lapicidas in iiſdem quatuor angulis ferruminatis fracto marmore, patuit ſuperne ſarcophagus, tres cubitos, unciaſque duas longus, cubitum unum, unciaſque duas latus; altuſque cubitum & uncias quatuor. Menſuras accipio ex Actis epiſcopalibus, ſolemni cæremonia conſcriptis, & nuper, ut alibi dixi, huc Romam Ticino tranſmiſſis; non vero ex chartis forenſibus in lucem datis. Marmor eſt album, bene ſcalptum & perpolitum: Mox intra marmoreum ſarcophagum arca ex puro argento reperta eſt, inſtar loculi ſepulcralis exſtructa, longa cubitum unum, unciaſque quatuor; alta uncias novem, lata uncias ſeptem. Figura eſt quadrangula, tamen oblonga. In una ex quatuor exterioribus *arcæ argenteæ* partibus eſt ſera

ra cum anſula. In reliquis tribus ſunt totidem Cruces argenteæ in lamulis ſeu bracteis formæ ovatæ interque ſe æqualibus, arcæ ipſi connexis, cum effigie Salvatoris in ſingulis Crucibus & cum literis I. C. *Jeſus Chriſtus*. De veterum Chriſtianorum more, Crucis ſignum in hujuſmodi aliiſque monumentis ter, quaterve efformandi, dixi aliqua in Commentario de sancta Columba. *Domini Salvatoris* imago, ſingulari ſtudio cælata, nobis in memoriam reducit verba Paulli Diaconi libro VI. cap. LVIII. teſtantis, Liutprandi tantam pietatem fuiſſe, ut *intra ſuum quoque Palatium, oraculum Domini* SALVATORIS *ædificaverit, &, quod nulli alii Reges habuerant, ſacerdotes & clericos inſtituerit, qui ei quotidie divina officia decantarent*. Non fruſtra ergo Liutprandus in loculo argenteo, quem recipiendis oſſibus beati *Auguſtini* condendum curavit, vultum *Domini Salvatoris* exprimi voluit cum literis I. C. indicantibus, thecam illam in honorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, claudendis magni Doctoris Reliquiis deſtinatam. In quaternis cujuslibet Crucis angulis totidem aliæ, ſed exiguæ, Cruces exſtabant. In una tamen ex illis majoribus Crucibus, extra arcam poſitis, non effigies Salvatoris, ſed rotunda ſera, ut dixi, cum anſula, malleolo vel peſſulo argenteo, ſed ſine clave, reperta eſt. Ergo arca marmorea retecta, mox argentea facillime patuit. Quare amoto hujus operculo, *velum ſericum*, lineolis rubris diſtinctum, primo ſe obtulit, undique tamen vetuſtate fatiſcens, ſubque eodem *velo*, beati *Auguſtini* oſſa in capſa ex plumbo, quam longa ætas contriverat, apparuerunt. Hunc plumbeum loculum, annorum ſpacio conſumtum, recipiendis *Auguſtini* oſſibus Hippone factum putamus. Eodem ritu sanctorum martyrum

CAP. XXI.

CAP. XXII. Alexandri & Fabiani oſſa *plumbeis loculis* clauſa, inque arca ſaxea Fuldæ compoſita legimus apud Rudolſum monachum in Vita Rabani Mauri Sæculo IV. Benedictino Parte II. pag. 7. num. 16. Plumbi, Ticinenſem capſam olim conficientis, complura fruſtula, veluti putrefacta, ibidem ſupererant.

XXII. Recenſio oſſium ſancti Auguſtini.

Tres ergo capſæ, una intra aliam, repertæ. I. *Marmorea*. II. *Argentea*. III. *Plumbea*, ceterarum veterrima, utpote in Africa claudendis *Auguſtini* oſſibus jam *reſolutis*, inque Sardiniam tranſvehendis, LXX. & plus minus annos ab ejus dormitione, conſtructa. In capſa argentea extra plumbeam, duæ *phialæ vitreæ*, ſed *vacuæ* & oblongæ, una major, & longiuſcula, altera minor, exſtabant. Singula oſſa, poſt arcam plumbeam, minimo tactu ſtatim everſam, intra argenteam ſervata, rei anatomicæ peritorum examini ſubjicienda, ſuper altari ſollicite & reverenter expoſita, diligenterque inſpecta, & contrectata, hæc ſunt.

Recenſio oſſium corporis ſancti Auguſtini.

1 *Fruſta decem cranii*, & quædam aliæ *perexiguæ particulæ* una cum *parte oſſis baſilaris*.
2 *Maxilla* inferior cum *gemino dente molari*.
3 Unum ex *oſſibus petroſis* cum *meatu auditorio*.
4 *Decem vertebræ ſpinalis medullæ*, quarum aliæ colli, aliæ dorſi, quædam lumborum ſunt.
5 *Portio oſſis ſacri*.
6 *Clavicula ſiniſtra* cum *ſcapulæ* fruſto.
7 Ex *coſtis legitimis* & *ſpuriis* fruſta VII. & XX.
8 Portio *oſſis pubis*.
9 *Oſſis ilii fruſtum* unum & alterum.

10 Os

10 Os *iſchion* & *femur* utriuſque *coxæ* . Uni tamen ex *femoris oſſibus ſumma pars* deeſt . Alteri , in tres partes fracto , deſunt *extremæ partes* . CAP. XXII.

11 Fruſtum *oſſis tibiæ* cum ſua *fibula* .

12 *Scapulæ* dexteræ *os* ab humero ad cubitum , in duas partes ſciſſum . Johannes a Vico Genuenſis in Praxi chirurgica lib. 1. cap. XIII. phraſi Ligurum & Inſubrum *os adjutorium* appellat .

13 *Oſſa duo* a flexu brachii dexteri ad extremam uſque manum , alias *cubitus* & *radius* .

14 Deeſt *lævæ ſcapulæ* alterum *os* ab *humero* ad *cubitum*, ſancto Egelnotho Cantuarienſi Archiepiſcopo dono traditum A. D. 1022. inque Angliæ cœnobium *Conventrejæ* primum , in Glaſtonienſe monaſterium deinde translatum , ut poſtea dicemus . Oſſa tamen adſunt , quæ *cubitus* , & *radius* vocantur , ſive ejuſdem lævæ ſcapulæ *focile geminum* .

15 Quædam *fruſtula carpi & metacarpi* , ſive oſſa manus . *Tarſi* quoque & *metatarſi oſſa* quædam , ſive pedum . Novem pariter oſſa , alias *internodia* , digitorum manuum & pedum .

16 *Talus* utriuſque pedis .

17 *Sex & octoginta* plurium oſſium particulæ præter alia fruſtula .

18 *Pulvis* ad librarum ſeptem & trium unciarum pondus aſcendit , cumque recenſitis oſſibus juſtam corporis humani menſuram complet . Huc facit ſanctus Petrus Damianus in Vita ſancti Romualdi Sæculo VI. Benedictino Parte I. pag. 311. 312. §. 105. ubi *modicam capſam exſtructam* ait , *quæ ſancti corporis* OSSA *&* PULVEREM *tantummodo capere potuiſſet* . Poſtmodum *vas aptum* , *ad menſuram beati corporis* præparatum , inque eo *ſanctarum reliquiarum* PATROCINIA *recondita* . Sic pariter factum eſt in ſancto *Auguſtino* .

Hæc tam exacta ſacrorum oſſium recognitio optime facta eſt , quo nomine iis bene ſit, qui in hanc curam in-

CAP. XXIII.

incubuerunt. Hinc enim videmus, nonnulla deeſſe, quæ poſt immutatam veterem illam Eccleſiæ diſciplinam de non tangendis, & diſcerpendis Sanctorum Reliquiis, jamdudum variis in locis venerationi fidelium expoſita ſunt. *Unum* ex digitis viri Dei ſervat Eccleſia Eremitarum Sancti Auguſtini in Monte Ilicino, ex Aloyſio Taurello Sæculo v. Auguſtiniano pag. 84. num. 20. *Alius* ſervatur Placentiæ in æde ſancti Auguſtini, alias Benedicti, ex Petro Maria Campio in Hiſtoria ejuſdem civitatis tomo III. libro XXIV. pag. 205. col. 2. *Tertius* apud Auguſtinianos Valentiæ in Hiſpania, ex Thomæ Herreræ Alphabeto pag. *539*. Quidpiam aliud Ulyſſipone apud Presbyteros ſocietatis Jeſu in æde ſancti Rochi adſervari, docet Johannes Bollandus tomo II. Januarii pag. 612. De ſacro *Auguſtini* pignore apud Caſinates, jam alibi dixi. Thoracis partem Raguſii in Dalmatia exſtare nuper audivimus (Hæc omnia ex loculo Ticinenſi diſtracta arbitramur ſub Benedicto VIII. Pontifice quo tempore ſanctus Egelnothus Cantuarienſis Primas lævæ ſcapulæ os ab humero ad cubitum Ticini impetravit. Oſſa omnia ſancti Hilarii Pictavorum Epiſcopi eodem pacto atque oſſa *Auguſtini*, judicio anatomicorum Anicii ſubjecta fuerunt in æde ſancti Georgii, & quædam in iis deeſſe comperta, quæ Luteciæ in Abbatia ſancti Dionyſii coluntur. Vide Galliam Chriſtianam tomo II. pag. 326. num. II. novæ editionis.

(deberit adiungi Verba omnissa, et registrata in ultima pagina ubi sunt correctiones

XXIII. Corpus Auguſtini debito honore in ſola Confeſſione, non alibi, conditum.

At quandonam theſaurus quiſpiam, ab hoc *Auguſtiniano* diverſus, pretio tamen huic præferendus, vel ſaltem æquandus, in eamdem *Confeſſionem* baſilicæ ſancti Petri in Cœlo aureo tanta magnificentia inferri, tantaque religione ibidem ſer-

ſervari, auditus eſt unquam? Certe nunquam hoc factum eſt. Sint alia corpora Sanctorum in eadem Eccleſia, dummodo non ſint (uti certe non ſunt) in *Confeſsione*, ubi unum *Auguſtini* corpus ſemper quievit. Inde nunquam alio translatum, atque ibi tandem repertum eſt, quemadmodum nullum aliud corpus ob reverentiam erga tantum epiſcopum, illuc illatum eſt unquam. Quid aptius clariuſve adduci poteſt ad evincendum, corpus illud, abſque ſumma veritatis contumelia, magno Doctori *Auguſtino* abjudicari non poſſe? Hoc, de quo loquimur, illud idem eſt corpus, quod ex Africa in Sardiniam advectum, ibidemque *honorifice* collocatum, ac poſtmodum ex Sardinia Ticinum allatum, *debito tanto Patri honore conditum eſt* in *crypta* ſubterranea, ſeu *Confeſsione* ædis sancti Petri in Cœlo aureo. Mirari hoc loco vehementer ſubit eorum inſcitiam, ne dicam, impudentiam, qui, quum depoſitionem in ædis *Confeſsione* ſummum omnium honorem fuiſſe negare non poſſent, ne tamen hunc honorem *Auguſtino* ibidem reperto collatum faterentur, eo devenerunt, ut ſe magnæ audaciæ reos, inque rebus ſacris omnino hoſpites patefacere non dubitarent, Regem fortaſſe *Gothum*, vel *Langobardum* ibi tumulatum pronunciantes. Scilicet hoc deerat, ut *Auguſtino debitum illum honorem* prorſus auferrent, & Regi ab ſe conficto, minime ſancto, & fortaſſe minime catholico, tribuere conarentur. *Honorem* tamen uni *Auguſtino* collatum teſtantur plurium ſæculorum ſcriptores, omnium ætatum chronologi, ſummorum Pontificum diplomata, virorum Principum, S. R. E. Cardinalium, Præſulum, indigenarum, & exterorum frequens concurſus ad eandem *Confeſsionem* ob venerandos unius sancti *Auguſtini* CAP. XXIII.

ſtini

CAP. XXIV. *ſtini* cineres , ſemper viſus . Propterea in altari incruentum ſacrificium celebratum juxta ſarcophagum , diu noctuque accenſa lampas , & preces ad Deum fuſæ, tanquam in loco , ubi ſacræ *Auguſtini* Reliquiæ conderentur . Quam vero inepta cavillatio illa ſit de *loco loci* , ubi corpus *Auguſtini* quieſceret, ſatis dici non poteſt ; quum ſanæ mentis præditis viris ſcire ſufficiat , illud certo eſſe in *Confeſsione* , quæ adeo ampla non eſt , ut præter unum *Auguſtinianum* , alia Sanctorum corpora, hactenus ignorata, in ea quæri debeant . Unum *Auguſtinianum* quærendum fuit . Pro hoc uno pie ſervando , non pro aliis , *Confeſsio* facta , & ubique ab omnibus ſemper habita eſt . Quid ? quod ſi antiquam Eccleſiæ diſciplinam in tumulandis Sanctorum corporibus ſummis labris attigiſſent , nunquam frigidam illam cavillationem de *loco loci* ingerere auſi eſſent ; nam certo ſciviſſent, *Auguſtini* corpus non alibi , quam *juxta* & *retro altare* ſervatum eo loco, ubi tandem ſummo omnium cultu , & gaudio Ticinenſis civitatis repertum eſt .

XXIV.
Gothi & Langobardi , ut ceteri Chriſtiani , extra eccleſiam ſepulti .

QUid vero æque abſurdum excogitari poteſt , ac *Reges Gothos* poſt Liutprandum non ſolum confingere , ſed in *Confeſsione* , unis viris probatiſſimæ ſanctitatis deſtinata , ſepultos dicere ? Nihil ſane catholicæ diſciplinæ & religioni injurioſius , immo indoctius , auditum eſt unquam . Ita eſt . *Reges Gothos* poſt Liutprandum Regem Langobardorum commenti ſunt . *Gothis* in Italiæ dominatu *Langobardos* ſucceſſiſſe , neminem fugit . At nunc , ordine præpoſtero , *Gothi* Langobardis ſucceſſiſſe dicendi ſunt . Bone Deus , quid nobis ab hominibus litium avidis , in rebus tam ſacris audire contingit ! Paria his ſunt quæ de Regibus Langobar-

bardis poſt Liutprandum ibidem ſepultis, obtrudunt, quum tres tantum Reges Liutprando ſucceſſerint. I. Ratchiſius. II. Aiſtulfus. III. Deſiderius. *Primus* ſepultus fuit apud Caſinates, monachus factus. *Secundi* locus ſepulturæ ignoratur. *Tertius* obiit in diœceſi Ambianenſi, Corbejæ detonſus. Tædet & pudet tam vulgaria commemorare. Quis autem tam hebes & rudis eſt rerum ſacrarum, qui ignoret, in *Confeſsionibus* Eccleſiarum nullos unquam depoſitos, niſi ſolos *Martyres*, aut *Confeſſores*, perſpicua ſanctitate colendos, venerandoſque? Ceteros, dignitate etiam primarios viros, non in ipſa Eccleſia ſepeliri mos fuit, ſed extra in *atrio*, in *veſtibulo*, in *porticibus* circumpoſitis, ſub *arcubus*, vel tandem in *oratoriis* Eccleſiæ adnexis, quæ iiſdem porticibus ſucceſſerunt. His adde, non omnes Reges Gothos & Langobardos fuiſſe catholicos, tantum abeſt, ut in Eccleſia, nedum in *Confeſſione*, tumulari, & pro Sanctis coli potuerint. Res vulgatiſſimas loquor, atque veteris hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudioſis probe teſtatas. Vide Jacobum Gretſerum lib. I. cap. VIII. de Funere Chriſtiano, ubi de ritu agit ſepeliendi quoſcunque juxta Eccleſiam: qui ad limina, vel in porticibus Eccleſiæ; nunquam intus, & eo minus in *Confeſsione* depoſiti. Hoc animus cogitare, nedum ſcribere, omnino refugit, auctorumque, hæc ſpargentium, nominibus parco, ne hos omnium probris exponam, *ſic eos facilius poſſe corrigi ſperans*, ut ipſum Auguſtinum imiter, ita loquentem in libro II. Retractationum cap. XXXIII. Illos enim de *Auguſtiniano* pignore caſte loqui opto, non per invidiam & contentionem, quod neminem unquam decet. Si vero theſauri illius poſſeſſio ad Eremitas Auguſtinianos pertinet, anne ideo reliqui ſincera

G pie-

CAP. XXIV. pietate & religione eo frui nequaquam dicuntur? A Sanctorum omnium (ideoque & *Auguſtini*) patrocinio apud Deum nemo fidelis & pius rejicitur: omneſque, non uni Eremitæ Auguſtiniani, illud habere poſſunt. Nunquid enim Deus in Sanctis, quorum pignora in noſtra æde non ſunt, nobis colendus non eſt? Stephanus Baluzius in Hiſtoria Tutelenſi libro III. pag. 141. locum ſepulturæ honorificentiorem fuiſſe obſervat ante portas ædium ſacrarum: inque notis ad Reginonem de Eccleſiaſticis diſciplinis pag. 557. & 560. animadvertit, extra eas tria loca fuiſſe, in quibus corpora mortuorum ſepelirentur. I. *Atrium*. II. *Porticum*. III. *Exedram*. Locus omnium ſpectatiſſimus fuit *Atrium*, ante portam Eccleſiæ conſtitutum, diverſumque ab alio atrio, ſeorſum poſito, alias cœmeterio, ubi omnis conditionis homines ſepeliebantur. Ejuſmodi *Atrium* nobilius, Baſilicæ sancti Petri in Cœlo aureo connexum, ſæpe memorat Bonifacius IX. in Laurentii Empoli Bullario Auguſtiniano pag. 58. 59. Gretſerus quoque in libro ſuperius indicato adnotavit, Conſtantinum Magnum Imp. ſepultum fuiſſe in veſtibulo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Ottonem II. Imp. & Elgaitam conjugem Roberti Guiſcardi in *Atrio* Baſilicæ Vaticanæ. Plures virorum illuſtrium tumuli poſtea ex *Atrio* intra ipſas Eccleſias translati ſunt. Hujus veteris diſciplinæ, de qua nos non ita dudum paucula diximus etiam in Commentario de sancta Columba, memores celeberrimi S. R. E. Cardinales ordinis Prædicatorum, Thomas Cajetanus, & Nicolaus Schombergius, modeſtiæ cauſſa in veſtibulo Eccleſiæ sanctæ Mariæ ſuper Minervam ſepeliri voluerunt. Ad diffiandum immane illud commentum (quod ſatis improbare non poſ-

poſſum) de Rege *Gotho*, aut *Langobardo*, in noſtra *Confeſsione* depoſito, hæc dicta ſufficiant. Si tamen opus eſt, adi etiam Jo. Severanum in Commentariis de VII. Urbis Baſilicis Parte I. pag. 65.

Cap. XXV.

XXV.
Honor thecæ argenteæ exhibitus corpori sancti Auguſtini, proprius & communis fuit eccleſiarum patronis.

HOnorem tanto Patri debitum, a Liutprando Rege curatum (lubet enim formulam ſummi ponderis ſæpe repetere) auget & mirifice ob oculos ponit *theca argentea*, in urna ex albo marmore incluſa: qua in *theca* beati *Auguſtini* oſſa reperta ſunt, ſpectatiſſimum certe, ac dignum tanti Regis pietate, tantique Patris exuviis recipiendis illo ævo monumentum. Hæc eadem *theca argentea* comprobat, uni eam, ex more veteris Eccleſiæ diſciplinæ, adſervando corpori *Auguſtini*, ut ſummi ejuſdem ſacræ ædis patroni, ſed reſoluto, inque cineres jamdudum redacto, atque aliunde Ticinum advecto, ædificatam. Recipiendo namque toti corpori non reſoluto, alia *theca major*, amplior, longior, atque aptior, quam hæc ſit, paranda fuiſſet. Conſtat vero, hujuſmodi pretioſas & magnificas *thecas*, olim præcipuis ſingularium Eccleſiarum *patronis*, pro eorundem inſignioribus, maximeque venerandis Reliquiis capiendis, a pietate fidelium, Epiſcoporum, Regum, & Principum fabrefactas. Pauca de quamplurimis, quæ ſuppetunt, ſuperiora, æqualia, & poſteriora Liutprando exempla, *Auguſtini* argenteo loculo illuſtrando apta, indicabo, atque hæc omnia extra Urbem poſita. Quis enim Romanas lipſanothecas enumerabit; ut cum Venantio Fortunato loquar, libro VIII. carm. IV. pag. 190. operum editionis II. Browerianæ:

Vel tua quis poſsit pignora, Roma, loqui?

CAP. XXV. Hæc ſcribens, cujuſdam heterodoxi præfationem offendi, narrantem, ſacrarum Reliquiarum cultum a fine ſæculi VI. initium duxiſſe. Inter plurimos unus Prudentius ſæculi IV. ſcriptor inſignis, tantam inſcitiam & levitatem uberrime arguit. Sed perexiguæ molis Tractatus de Reliquiis Sanctorum, quem Abbas Cordemojus Luteciæ vulgavit A. D. 1717. omnes heterodoxorum conatus & cavillationes evertit. Jam *patronorum* thecas recenſeamus.

Thecæ pretioſæ, ſummis & præcipuis eccleſiarum patronis, ad condendas eorundem Reliquias, dicatæ.

1 Sancti Auguſtini brachium, ſive os ab humero ad cubitum, ex reliquo corpore in arca argentea *Confeſſionis* baſilicæ sancti Petri in Cœlo aureo ſumtum ab Egelnotho Cantuarienſi Archiepiſcopo, clauſum fuit in *theca argentea* Conventrejæ in Anglia, teſte Guillelmo Malmesburienſi, poſtea laudando.

2 Ciſonii opido diœceſis Tornacenſis in æde Canonicorum regularium magnifica *theca argentea* ſervat corpus sancti Everardi Ducis Foro-Julienſis, loci domini, & cœnobii conditoris, de quo aliqua dixi in Commentario de sancta Columba.

3 Servatus Lupus cap. XXV. Vitæ sancti Wigberti apud Mabillonium Sæculo III. Benedictino, Parte I. pag. 681. ſcribit, ejus Reliquias, more Sanctorum, *auro* & *argento* exornatas.

4 Sancti Quintini martyris corpus, a beato Eligio Noviomenſi epiſcopo inventum, *in tumba ex auro, argentoque & gemmis miro opere fabricata* repoſitum tradit sanctus Audoenus in Vita ejuſdem Eligii libro II. cap. VI. apud Lucam Dacherium in Spicilegio tomo V. pag. 201.

5 Idem sanctus Eligius *multa Sanctorum auro, argento-*

que

que & gemmis fabricavit ſepulcra, ideſt Germani, Severini, Piatonis, Quintini, Luciani, Genovefæ, Columbæ, Maximiani, Lolliani, ac Juliani, adhuc autem & aliorum multorum, ſed præcipue beati Martini, teſte Audoeno in ejus Vita lib. I. cap. XXXII. ibidem pag. 184. CAP. XXV.

6 Sancta Balthildis Regina Francorum ſupra corpus ſancti Eligii, proxime memorati, ex *auro* & *argento* juſſit operculum fabricari, teſte Audoeno libro II. cap. XXXIX. pag. 273.

7 Sanctus Ansbertus Rotomagenſis epiſcopus jam dicti ſancti Audoeni exuviis conditorium paravit, *pretioſis metallis auri, argentique decoratum, gemmiſque pretioſis ornatum*, teſte Aigrado in Sæculo II. Benedictino pag. 1057. §. 28.

8 Hariulfus in Chronico libro III. cap. III. auctor eſt, in Centulenſi cœnobio ſervatas *capſas Reliquiarum aureas & argenteas*, cœlitum ſcilicet præcipuorum celeberrimi loci. Majores enim eccleſiarum *patroni* locupletioribus thecis paſſim diſtincti.

9 Hugo Rotomagenſis epiſcopus cœnobio Fontanellenſi dimiſit *capſam auro & gemmis decoratam, continentem pignora diverſorum Sanctorum*, ex Chronico Fontanellenſi Abbatiæ ſancti Vandregiſili cap. VIII. in fine.

10 Corpus Sancti Remigii Archiepiſcopi Remenſis, in *locello argenteo* collocatum, poſtea memorabitur.

11 Splendidiſſima *theca argentea* ſancti Madelgarii Sonegiarum in Hannonia *patroni*, munus Margaritæ filiæ Balduini Imperatoris, habetur expreſſa in Julio Bollandiano tomo III. pag. 663.

12 Sanctæ Reineldis Virginis & martyris prope Hallas in Hannonia Reliquiæ coluntur in *theca pretioſa*, figuris argenteis ornata, tomo IV. Julii Bollandiani pag. 173.

13 Abbatia Abdinghoffenſis in Weſtfalia ſervat corpus ſancti Felicis martyris Aquilejenſis in ditiſſima *arca argentea*, ut poſt alios complures docet Edmun-

mundus Martenius in ſecundo ſuo Itinere literario pag. 243.

14 Mechliniæ in Belgio oſtenditur corpus ſancti Rumoldi in magna *theca argentea* repoſitum apud Bollandianos tomo I. Julii pag. 210. 215.

15 Aquilejæ noſtræ in ædis patriarchalis *Confeſſione* caput ſancti *Hermagoræ*, & brachium ſancti *Fortunati*, martyrum & Eccleſiæ *patronorum*, in duabus *thecis argenteis* ſervata, olim nos ipſi venerabundi conſpeximus.

16 Henricus Rex Anglorum apud Odoricum Raynaldum A. D. 1241. ante §. 88. *loculum ex auro* conflari juſſit, in quo ſacrum pignus Eadmundi Cantuarienſis Archiepiſcopi collocatum.

17 Corpus ſancti Petri a Murrone, olim Cœleſtini V. ſummi pontificis, Aquilanæ urbis patroni, ibidem ſervatur intra *capſam argenteam*, ex eodem Majo Bollandiano tomo IV. pag. 533. num. 152.

18 Sancti Thomæ Aquinatis corpus juſſu beati Urbani V. pontificis maximi ex cœnobio Ciſtercienſi Foſſæ novæ in agro Privernate Toloſam advectum in *capſa argentea*, tradit Raymundus Hugonis apud Bollandianos to. I. Martii pag. 731. col. I. ante cap. IV.

19 Ne de Græcis taceamus, *arca argentea* corporis ſancti Euthymii memoratur in ejus Vita a Jo. Baptiſta Cotelerio vulgata in Monumentis Eccleſiæ Græcæ tomo II. pag. 296.

20 Evagrius narrat in Hiſtoria eccleſiaſtica libro IV. cap. XXVIII. Sergiopoli Syriæ urbe *Reliquias invicti martyris Sergii ejus patroni in oblonga arca, argento coöperta, reconditas*.

21 Denique Hanoveræ apud Brunſvicenſes dynaſtas exſtat ſumme venerandus ſacrarum Reliquiarum theſaurus, pretioſis thecis ditatus, quas Henricus Leo Dux pro magna ſua religione congeſſit A. D. 1172. ſemperque a poſteris ſervatus eſt, poſtquam etiam ab illuſtrium majorum fide catholica defecerunt. Utinam hujus theſauri monitu omnes, ut illorum ali-

aliqui facere jam cœperunt, quod felix factumque ſit, ad eam revertantur! Ejus theſauri Index latinus, titulo *Lipſanographiæ*, prodiit Hanoveræ apud Nicolaum Fœrſterum A. D. 1713. in 4.°

XXVI.
Corpus Auguſtini a Liutprando reconditum ex more tunc paſſim in eccleſia recepto.

HÆc fuſius ex veterum ac recentium ſæculorum diſciplina & ritu perſequi libuit, ut Ticinenſi arcæ argenteæ *Auguſtinianæ* pretium, ad rei, de qua agimus, religionem & veritatem dignoſcendam, atque, ut par eſt, ſuſpiciendam, tot exemplis firmatum & comprobatum expenderetur: quod præcipuæ honorificentiæ argumentum nulli, præterquam ſummo Baſilicæ patrono *Auguſtino*, ibidem in *Confeſsione* ab A. D. 722. ad noſtram ætatem quieſcenti, ſummaque religione ab omnibus culto, præſtari poterat. Hæc palam faciunt, a nemine bonæ mentis compote, jure dubitandum, quin Liutprandus hac *arca argentea*, in Ticinenſi *Confeſsione* beati Petri *ſub ara maxima*, & apud *inferius altare* tandem reperta, ex ubique gentium recepto ſuæ ætatis more per hujus cuſtodes epiſcopos condi voluerit corpus ſancti *Auguſtini*, ab ſe ex manibus Saracenorum magno pretio redemtum. Mos ille ſanctiſſimus deponendi corpora ſervorum Dei in *Confeſsione* ſub *ara maxima*, quæ tunc una erat, rerum ſacrarum peritis notiſſimus eſt. Hunc poſt alios pie & accurate pertractat Cordemojus cap. V. Nitebatur his verbis Apocalypſis VI. 9. *vidi* SUBTUS ALTARE *animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant*. Præcipuus deinde baſilicæ in Cœlo aureo *patronus* habitus eſt *Auguſtinus*, itaut ob ejus theſaurum ibidem ſervatum, de ſolo nomine *Auguſtini* diceretur. Hoc teſtatur Monachus ſancti Galli in Vita Caroli

Cap. XXVII. roli Magni lib. I. cap. I. quam poſt Caniſium Simon Fridericus Hahnius to. II. Collectionis monumentorum, auctiorem Brunſvici vulgavit A. D. 1726. Immo *Auguſtinum* non unius Baſilicæ, ſed totius Civitatis *patronum* infra agnoſcemus.

XXVII. Vetus eccleſiæ ritus, in tumulando corpore Auguſtini ſervatus, ex poſtrema ejus inventione manifeſtatur.

Sed quidpiam aliud magni momenti de *Confeſsionis* loco & mauſoleo lateritio, ubi *Auguſtini* corpus detectum eſt, notare juvat; unde inepta & ad ravim inculcata cavillatio de *loco loci* penitus evaneſcet. Arca marmorea, *thecam argenteam* oſſium *Auguſtini* complexa, exſtabat *prope inferius altare* in *Confeſsione* baſilicæ ſancti Petri, mauſoleo lateritio undique obducta, atque a ſolo mox poſt idem altare inſtar cunei ſurſum ad *fornicem* elevata. Hunc *fornicem* in ædibus ſacris majores noſtri *concham* atque *abſidem*, ſive *teſtudinem* appellarunt, ſub qua Sanctorum *Reliquias*, non temere & fortuito, ſed ex paſſim recepto eccleſiæ more, collocari voluerunt. Audi Cyrillum Scythopolitanum in vita ſancti Sabæ apud Cotelerium in Monumentis Eccleſiæ Græcæ tomo III. pag. 247. *altare* IN *concha*, *&* SUB *eo Reliquiæ martyrum*. De hac *concha* aliqua dixi in Commentario de ſancta Columba. Mirum eſt maxime, in celeberrima Civitate ob veteris Eccleſiæ diſciplinæ in Sanctorum corporibus tumulandis ignorationem, ſine debito honore corpus magni *Auguſtini* a tempore ejus inventionis ad nos uſque jacuiſſe, epiſcopii Ticinenſis miniſtris tantum theſaurum, quem ex Sardinia Ticinum advenientem totus orbis venerabundus ſuſpexit, tamdiu ob mutua forenſium ſcriptorum litigia, ex eorum parte, quos invitus attingo, indigne haberi permittentibus: cujus tamen ſanctioris diſciplinæ, a qua ſo-

forenſium concertationum & tricarum ſtudioſi plerumque imparati eſſe ſolent, ſcientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIII. pro ſua religione erga *Auguſtinum*, ægerrime id tulit, ubi primum ad ejus aures tantæ incuriæ, ut mitiſſime loquar, perlatus eſt nuncius. Quis mortalium hucuſque unquam audivit, ad contentioſa rabularum principia *Reliquias Sanctorum* eſſe probandas? Hoc tamen factum ſatis mirari non poſſumus, quum ſacroſanctum Concilium Tridentinum ſeſsione XXV. ante caput I. *Theologos* & *pios viros*, non ſane rabulas forenſes, ubi de *Reliquiis* agitur, in conſilium vocandos moneat. De *abſida* & *concha*, ſub qua diu clauſus jacuit *Auguſtinianus* ille ſarcophagus, mauſoleo lateritio contectus, poſt alios bene multos agentem vide Carolum Cangium in Conſtantinopoli Chriſtiana lib. III. cap. LI. inque alio nobili Commentario ad Paullum Silentiarium de Æde ſanctæ Sophiæ pag. 564. num. LI. Sed præ ceteris Mabillonius omnino eſt audiendus, ritum, de quo loquimur, egregie pertractans in præfatione ad Acta Sanctorum ordinis ſancti Benedicti ſæculo II. pag. XXXIV. obſervatione X. §. 45. Nos *mauſolei* vocem ſæpe uſurpamus, a Mabillonio, rerum ſacrarum peritiſsimo, hac ipſa in re ſcite uſurpatam. Ea utitur quoque ſanctus Audoenus in Vita ſancti Eligii libro I. cap. XXXII. pag. 135. de *mauſoleo* loquens, quod idem Eligius martyri Dionyſio fabricavit. Omnia, quæ dixi, penitiori diſciplinæ, in condendis Sanctorum corporibus & *Reliquiis* paſsim vulgatæ, undecunque reſpondent. Hoc idem, quod in condendo *Auguſtiniano* theſauro Ticini ſub Rege Liutprando a Petro ceteriſque epiſcopis, ſuperius dictis, ſervatum eſt, ego aliis antiquiorum, æqualium, & poſteriorum

H exem-

CAP. XXVIII. exemplis, de more alibi quoque actum, me nullo negocio ſpero oſtenſurum, teſtium fide uſus, omni honore digniſsimorum, & Baldo certe, Bartolo, Farinacio, Tiraquello, Maſcardo, Pignatello, ni fallor, Barboſæ etiam & Bonacinæ, præferendorum, ceteriſque hujus commatis, quorum nominibus chartæ hac de re olim vulgatæ, confertim onerantur: quod jure ſugillat vir, ſcriptis editis maxime illuſtris, Bernardus a Montefalconis in Diario Italico pag. 29. ſcilicet probe gnarus, alio teſtium & argumentorum genere eos hac in re differere debuiſſe, qui ſe *ingenium in dorſo* non habere gloriantur. Qui enim in optimis (præſertim Patrum) ſtudiis conſeneſcunt, *in dorſo ingenium* habere a viris non malis ſerio & ſæpe dicuntur.

XXVIII. Corpora Sanctorum & ſancti Auguſtini, ex ritu eccleſiæ ſepulta in Confeſſione ſuper terram inter parietem & altare.

JAm prodeat Walafridus Strabo, qui cap. II. de Miraculis ſancti Galli in Sæculo II. Benedictino pag. 252. hæc habet de corpore hujus Confeſsoris, quod Boſo Conſtantienſis Epiſcopus *honorifice* tumulavit: *ſumens loculum, in quo ſanctum corpus erat, poſuit* SUPER TERRAM INTER *parietem &* ALTARE, *&* DESUPER, *ut* MORIS *eſt, arcam altiorem exſtruxit*. Audin', *morem*, ſeu ritum, diſciplinamque fuiſſe, ut corpora Sanctorum *ſuper terram* collocarentur *inter parietem* & *altare*, utque *deſuper*, hoc eſt ſupra eadem corpora, ſacræ diſciplinæ cuſtodes epiſcopi & eccleſiæ miniſtri arcam altiorem conſtruendam curarent? Ita factum in depoſitione corporis ſancti Galli. Ita factum in depoſitione corporis ſancti *Auguſtini*. Walafridum, mutatis nominibus, de corporis *Auguſtiniani* depoſitione, ob uniformem diſciplinæ concordiam, locutum facile dixeris. Idem enim prorſus de utroque

que factum conſtat. *Auguſtini* loculus, ſive urna marmorea, intus habens arcam argenteam Reliquiarum, poſita eſt *ſuper terram*, atque *inter parietem & altare, & deſuper, ut moris eſt*, altior elevata, & mauſoleo lateritio contecta. Romæ in pervetuſtis inſignium baſilicarum *Confeſsionibus* altaria ſuperſunt, in honorem Chriſti martyrum ibidem quieſcentium erecta, perinde ac Ticini in æde ſancti Petri in Cœlo aureo.

CAP. XXIX.

XXIX.
Corpus ſancti Auguſtini ex ritu eccleſiæ ſepultum ſub ara maxima in Confeſſione juxta aliud altare.

EX his patet, contra veterem Eccleſiæ diſciplinam eos pugnare, qui ſomniis ſuis indulgentes, *profundum & ſecretiſsimum locum* obtrudere & comminiſci non erubeſcunt, ubi aliud corpus quærant, quod pro *Auguſtiniano* venditent. Nos habemus verum corpus *Auguſtini*, deque hoc, non de alio, diſputamus. Habemus autem illud *ſub ara maxima* & *juxta aliud altare* in *Confeſsione*, ubi reperiri debuit, ubi ſemper jacuit. Alibi nunquam poſitum, nunquam repertum eſt, nec alibi quæri debet. Sed quomodo ajunt, quærendum *in profundo & ſecretiſsimo loco* qui nuper ajebant, ſe illud habere poſt altare ſancti *Appiani prope ſecretarium*? Quandonam illud, quomodo, quibus teſtibus, cujuſnam pontificis, vel præſulis auctoritate, qua nocte, quo die, quo Conſule, clam illud ex *Confeſsione* ad locum prope *ſecretarium*, & poſtea in *profundum & ſecretiſsimum* latibulum transferre auſi ſunt? Nemo ergo ex vigilantiſſimis tanti theſauri cuſtodibus, diu noctuque illic ad Deum preces fundentibus, ſacrilegum furtum præſenſit? Non monachi Benedictini, a Rege Liutprando conſtituti, ſolique ibidem morati uſque ad ſæculum XIII? Non poſtea Eremitæ *Auguſtiniani*? Non alii? Anne ad

 cor-

 corporum replicationem confugient, quaſi in *Confeſsione* duo corpora *Auguſtini* depoſita fuerint? Prius illud verum, noſtroque ævo repertum, alterum non verum, atque alio translatum, inque *profundo & ſecretiſsimo loco* quærendum, ſed nunquam inveniendum. At ſanctioris diſciplinæ doctores nunquam juſſerunt, in *profundo & ſecretiſsimo loco* recondi pignora Sanctorum. Immo in Sæculo II. Benedictino pag. 730. cap. vii. §. 21. Milo ait, urnam ſancti Amandi *in* superioribus *poſitam*. Beda in eodem Sæculo II. pag. 912. §. xliii. tradit, ſancti Cuthberti *corpus in theca reconditum* supra *pavimentum ſanctuarii*. Hæc temporibus minime recentibus facta nos legimus. Quod ſi poſt mutatam hac in re eccleſiæ diſciplinam, inferiori ævo aliquando aliter factum eſt, id peculiares ob cauſſas, non ob ullas eccleſiæ regulas, idipſum fieri præcipientes, factum fuiſſe conſtat. Quæ vero de exuviis *Auguſtini* alio ævo facta, gratis dicuntur, nuſquam integre ſcripta legimus, & plane ignoramus. Immo contrarium prorſus legimus, & manibus plane tenemus. Jam nos de hoc vero *Auguſtini* pignore, non de alio fabuloſo, diſſerimus. Videndum eſt ergo, num hoc vere illud ſit, de quo diſputamus. Vero corpori in omnibus favet perantiqua Eccleſiæ diſciplina, ad cujus regulas *Auguſtiniani* corporis arca poſita fuit *prope altare Confeſsionis*. Sic pariter arca ſancti Galli poſita fuit. Immo ſic quoque arca ſancti *Urſini Burdigalenſis* epiſcopi, teſte Gregorio Turonenſi de Gloria confeſſorum cap. lxxx. in fine, ubi tradit, a Sancto Germano Pariſienſi epiſcopo *Urſinum* ſepultum juxta *altare*. Nos ipſi in Commentario de ſancta Columba oſtendimus, hanc Virginem Aquilejenſem depoſitam *prope altare*.

Com-

CAP. XXX.

XXX.

Corpora Sanctorum & Auguſtini ſepulta juxta altare ac inter altare & Confeſſionis parietem.

COmmunis hæc olim & late patens in deponendis apud Catholicos Sanctorum exuviis diſciplina aliis exemplis uberrime comprobatur. Nos paucula ex plurimis, quæ apud veteris ſanctimoniæ enarratores ſuperſunt, proferre contenti erimus.

1 Agnellus Ravennas in ſuo libro Pontificali Parte II. cap. VII. pag. 102. ait, ſanctum Maximianum Ravennatem Archiepiſcopum JUXTA *altare* tumulatum.

2 Eodem modo corpus ſanctæ Rotrudis Virginis depoſitum fuit JUXTA *majus altare* in *argentea capſa*, ex Junio Bollandiano tomo IV. pag. 257. num. 10. & pag. 258. num. 12.

3 Johannes Abbas Gorzienſis in Vita ſanctæ Glodeſindis Abbatiſſæ, Sæculo II. Benedictino pag. 1088. §. 3. auctor eſt, Metis in Baſilica *Protomartyris Stephani* INTRA *altare & Confeſſionem cum ejuſdem martyris ſanguine, plurimorum contineri Sanctorum Reliquias*.

4 Johannes XXII. Pont. Max. tradit in Bulla canonizationis ſancti Thomæ Aquinatis, hunc laudatiſſimum virum in æde monachorum Ciſtercienſium Foſſæ novæ in agro Privernate ſepultum JUXTA *altare*.

5 Clemens VI. in Bulla ad epiſcopum Anicienſem jubet, corpus ſancti Roberti Abbatis Caſæ Dei in Arvernis transferri HONORIFICENTIA *digna* AD ALTARE *majus* eccleſiæ dicti monaſterii. Nos utramque Bullam rurſus edidimus in Codice Conſtitutionum, quas ſummi Pontifices hactenus ediderunt in ſolemni canonizatione Sanctorum. Eum vide pag. 138. 145.

His

CAP. XXXI. 6 His probatiſſimis teſtibus ſummum pondus addit Cæſar Baronius, qui A. D. 821. §. XIII. narrat, corpus ſanctæ Cæciliæ Virginis & martyris Romæ in ejus Titulo repertum (& coram ab ſe viſum) INTER *altare & Confeſsionem*, eo ſcilicet ritu, quo corpus *Auguſtini* in Ticinenſi æde beati Petri INTER *altare & Confeſsionem* repertum eſt.

XXXI. Summi Pontifices teſtantur, corpus Auguſtini ſervari juxta altare inferius in Confeſſione, ubi repertum eſt.

AUdiamus tandem Bonifacium IX. qui locum ipſum, in quo theſaurus hic *Auguſtinianus*, mauſoleo lateritio, omnium oculis expoſito, contectus ſemper jacuit, pontificio oraculo patefactum oſtendit in diplomate Eremitis Auguſtinianis conceſſo A. D. 1401. cujus autographum Romæ ſervatur in tabulario cœnobii ſancti Auguſtini, editumque eſt in Bullario ejuſdem ordinis pag. 59. ubi §.13. hæc leguntur, hucuſque a me dictis mirifice reſpondentia: ALTARE *majus*, & ALTARE *inferius* JUXTA CORPUS *ipſius beati* AUGUSTINI *per indiviſum veniunt*. Quid amplius quærimus? Corpus beati *Auguſtini* ex veteri diſciplina *ſubtus* ALTARE *majus* conditum eſt in *Confeſsione* JUXTA *altare* INFERIUS. Iſtic illud jacuiſſe A. D. 1401. literæ Bonifacii IX. palam faciunt. Iſtic repertum eſt A. D. 1695. Quid adhuc in forenſibus ſcriptis pueriles cavillationes *de loco loci* addenſantur contra tam clarum *Auguſtiniani* corporis loculum ſepulcralem? *Locum loci* commonſtrat Bonifacius IX. ubi deſignat *altare inferius* JUXTA *corpus beati Auguſtini*. Corpus iſtic repertum eſt JUXTA *altare inferius*. Ubinam gentium corpus iſtud quæri & reperiri debuit, niſi ubi Bonifacius IX. illud ſervari prædixerat? JUXTA *altare inferius* repertum eſt. A pontificiis conſtitutionibus aberrantes illud alibi

alibi quærunt, ſed non inveniunt. Quæcunque enim pro ſe afferunt, conficta ſunt longe poſt Bonifacium IX. tantum abeſt, ut ævum ſuperius ullo pacto ſapere, aut reſpicere poſſint. Bonifacii IX. conſtitutio utriuſque ordinis, *Canonicorum regularium*, & *Eremitarum* beati *Auguſtini* maximi refert. Præſentem enim utriuſque ordinis ſtatum, perpetuo in æde ſancti Petri ſervandum firmavit. Mirari non parum ſubit, cur Canonici regulares congregationis Lateranenſis a ſuo Bullario pridie edito hanc Bonifacii conſtitutionem exſulare permiſerint, quæ illos æque ac Eremitas reſpicit; quum tamen eidem Bullario ſuo conſtitutionem, qua Johannes XXII. Eremitas Auguſtinianos in Baſilicam ſancti Petri in Cœlo aureo introduxit, totam ipſi inſeruerint pag. 94. Hanc Bonifacianam conſtitutionem haud fortuito præteriiſſe dicendi ſunt, quippe quæ *locum loci*, ubi *Auguſtini* corpus requieſcit, digito oſtendat, JUXTA *altare inferius*. Sed eandem ob cauſſam alias tabulas quoque ab eodem Bullario exſulare videbimus; quanvis æque Canonicos regulares ac Eremitas ſpectarent. In eo tamen exſtat pag. 137. Bulla ejuſdem Bonifacii ad Cardinalem Coſmatum A. D. 1394. vulgata, in qua ait Pontifex, in Baſilica ſancti Petri *ſacrum corpus ejuſdem Sancti* [Auguſtini] *conſervari ſolemniter & tumulatum fore*. Quid autem hoc eſt, niſi in proprio ſuo loco, nimirum in *Confeſsione*, adſervari? In hac enim ſola, non alibi, corpora Sanctorum ritu veteri *ſolemniter conſervantur*. Ea vero, quæ adverſus *Auguſtiniani* corporis inventionem afferuntur, ſunt omnia conficta longe poſt annum Domini 1493. quo Alexander VI. alio diplomate in Bullario Auguſtiniano pag. 34. de feſto *Auguſtini*, in Marchia Tarviſi-

viſina celebrando, agens, memorat literas Johannis XXII. ad *Fratres domus sancti Auguſtini Papienſis*, *ubi* CORPUS *ejuſdem Sancti* HONORIFICE *requieſcit*. Johannes XXII. SOLEMNITER in eodem loco *tumulatum* dixerat pag. 197. in ſuo diplomate anni 1326. dixitque poſtea Bonifacius IX. Ubinam vero in Baſilica sancti Petri HONORIFICE *requieſcere* & SOLEMNITER *tumulatus* dici poterat *Auguſtinus*, niſi in *Confeſsione* ipſa JUXTA *altare inferius* requieviſſet; quum nullus alius locus, dignitate huic ſuperior aut par in tota æde habeatur? Anne id ſpectat corpus inhonorum, inglorium, & a plurimis ſæculis latens in *profundo & ſecretiſsimo loco*, nuper tamen a bonis viris excogitato?

XXXII.
Corpus Auguſtini in æde sancti Petri in Cœlo aureo ſervari, idem eſt, ac ſervari in Confeſſione, ubi repertum eſt.

Mihi hæc ſcribenti V.C. Johannes Georgius Eccardus commodum miſit Animadverſiones ab ſe Herbipoli nuperrime editas in Diœceſin Fuldenſem Johannis Friderici Schannati, in quibus recte adnotat pag. 47. hanc formulam, *apud corpus beati Petri*, idem eſſe, ac *ante Confeſsionem*, ſive *ſepulcrum beati Petri*. Summos quidem pontifices electos profeſſionem Fidei emiſiſſe *apud corpus*, ideſt *ante Confeſsionem beati Petri*, docemur ex eorum libro Diurno pag. 24. editionis Garnerianæ. Ita pariter quum Baſilicam dicimus, *ubi eſt corpus beati Auguſtini*, ſemper ejus Baſilicæ *Confeſsionem*, ſive *ſepulcrum* omnino dicimus; non vero locum quendam *profundum*, *ſecretiſsimum*, incognitum, atque arbitrio & ſtudio cavillandi & contradicendi, confictum. Quotieſcumque ergo legimus, corpus beati *Auguſtini* exſtare in *æde sancti Petri in Cœlo aureo*, quod apud antiquos ſcriptores, inque ſummorum pontificum diplomatibus ſæpe legimus, toties illud

in *Confeſsione*, ſive in *loco certo juxta altare inferius* (non vero alibi in *loco incerto*) omnino intelligimus. *Confeſsio* enim ſola eſt locus *honorificus*, verus, proprius, *tantoque Patri debitus*.

CAP. XXXIII.

XXXIII.
Phialæ vitreæ cum Reliquiis Auguſtini repertæ, non ſanguine, ſed oleo anteà plenæ.

QUanvis hæc ſumme luculenta, & probata habeantur, alia tamen æque luculenta atque optime conſtituta perpendere non pigebit. In arca argentea ſacrorum *Auguſtini* oſſium reperta eſt *gemina phiala vitrea*, una major, altera minor, utraque vacua, nulloque prorſus colore diſtincta. Hoc patet ex Actis, epiſcopali auctoritate de tota hac inventione conſcriptis, & nuperrime, ut dixi, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo Ticinenſi ad ſummum Pontificem BENEDICTUM XIII. tranſmiſſis, mecumque, eodem ſummo Chriſti Vicario jubente, communicatis: quod ſpeciatim animadverto; quoniam de *Auguſtini* corpore litigantes in ſuis illis ſcriptis forenſibus, colorem quendam, *quaſi rubrum*, ſuopte ingenio commenti, hunc iiſdem *phialis* de ſuo quoque addiderunt: quæ tamen *phialæ* omnino vacuæ, nulloque colore inquinatæ ſeu tinctæ dicuntur in iiſdem authenticis tabulis, magna religione & ſolemnitate, ut in re tanta fieri oportebat, conſcriptis. Sique tot teſtes, qui examini interfuerunt, *phialas* ipſas colore aliquo, præſertim *rubro*, tinctas vidiſſent, anne hoc ab Actuariis, & miniſtris epiſcopalibus prætermitti debuiſſe putabimus, qui *veli*, ibidem reperti, colorem, quanvis evaneſcentem, nequaquam prætermiſerunt? Sed *color* in *phialis* nullus fuit, propterea que a jam dictis auctoribus *phialæ* nunquam eo trahi debuiſſent, ut *vaſa ſanguinis* putarentur, cujuſmodi Romæ in cœmeteriis Chriſtianorum, ad

CAP. XXXIV. loculos martyrum, ut certa quædam illorum indicia & ſigna, comperiuntur. Non eſt quidem abſurdum, cujuſpiam Confeſſoris (non martyris) *ſanguinem* cum veneratione exceptum ſervari. Sic enim effluentem ex naribus demortui ſancti Eligii Noviomenſis epiſcopi *ſanguinem*, ab epiſcopis & a Regina Francorum *pro magno munere collectum*, ac *deinceps in pignoribus* ſervandum, teſtatur ſanctus Audoenus Rotomagenſis epiſcopus in ejus Vita libro II. cap. XXXIV. apud Dacherium in Spicilegio tomo V. pag. 267. Petrus Dominicus a Baono epiſcopus Tarviſinus in Actis beati Henrici Baucenenſis, quæ Bollandiani ediderunt to. II. Junii, narrat pag. 374. num. 18. *ſanguinem* ex corpore viri ſancti effluxiſſe, inque *phialis* exceptum. Sancti Bernardini Senenſis *ſanguis* quotannis ſolemni ſupplicatione circumfertur in opido ſancti Viti diœceſis Concordienſis apud noſtrates Foro-Julienſes. Ex corpore etiam ſancti Franciſci Xaverii *ſanguis* poſt complures menſes effluxit, qui æque ac ceterorum, in *phialis* excipi potuit. Mediolani quoque *ſanguinem* ſancti Caroli Borromæi exceptum & pie ſervatum audivimus. At non ideo phialæ *Auguſtinianæ*, de quibus loquimur, ſunt pariter *vaſa ſanguinis*. Quid ergo ſunt? Dico, eſſe *vaſa olei*. Rem audi.

XXXIV. Phialæ oleo plenæ cur Sanctorum loculis admotæ.

MAjores noſtri, antique boni, & vere pii, vaſa & *phialas*, *oleo*, *nardo*ve plenas, ad loculos Sanctorum de more collocabant, ut de eodem *oleo*, tanquam divina virtute inſtructo, proque ſacris reliquiis habendo, ac miracula per fidem in Deum operaturo, fidelibus diſtribueretur, quum nefas eſſet eorundem Sanctorum corporum particulas, & membra tangere, nedum diſtrahere. Mirare ſumme pium,

pium, minimeque fucatum integerrimæ fidei veterum Chriſtianorum candorem. Hunc enim facilius mirari poſſumus, quam referre. Utinam etiam imitari valeremus! Hæc pietas in non tangendis & diſtrahendis pignoribus Sanctorum duravit poſt Liutprandum ad medium uſque ſæculum VIII. & pontificatum Stephani II. ſub quo Aiſtulfus Rex Langobardorum Romam obſidens, ut ait vulgatus Anaſtaſius pag. 124. *multa corpora Sanctorum effodiens, eorum ſacra myſteria* (an *membra*?) *ad magnum animæ ſuæ detrimentum, abſtulit*. Vide Chriſtianum Lupum, tam ſanctæ diſciplinæ mutationem huc referentem in notis ad Concilia to. I. pag. 1117. Vir doctus Chriſtophorus Browerus ante Lupum idipſum obſervaverat: quod pridem nos adnotavimus in Commentario de ſancta Columba pag. 88. Ut de *oleo* in *phialis* ante ſæculum VIII. Sanctorum loculis admoto, dicere pergamus, Gregorius Turonenſis in lib. VIII. Hiſtoriæ Francorum cap. XV. pag. 388. editionis novæ, narrat, ſanctum Wlfilaicum Diaconum *ampullam cum* OLEO *plenam de ſancti Martini baſilica detuliſſe*; inque libro de Gloria confeſſorum cap. IX. *ampullam* OLEI, *de ſepulcro* (ejuſdem) *sancti Antiſtitis* per beatum Aredium ablatam, nomine *Reliquiarum* donavit. *Phialas* enim *oleo* plenas, in ſacrum pignus, reliquiaſque evaſuro, Chriſtifideles maxima pietate ducti, tumulis cœlitum adponebant, ut ſanctificatum, inde exſportarent. Idem Turonenſis in libro de Miraculis ſancti Martini cap. II. pag. 1002. his verbis id refert: *sanctus Perpetuus epiſcopus, meritò Beati diſcipulus præconandus*, AMPULLAM *cum* OLEO *ad ſanctum* TUMULUM *detulit, ut eum* (pro *id*) *virtus Juſti infuſa* SANCTIFICARET. Hujuſmodi *oleum* memorari vi-

 deo

 deo a ſancto Gregorio Magno lib. VII. epiſt. XXXIV. gratias agente Leoni exconſuli ob acceptum ex eo OLEUM *ſanctæ Crucis*, hujus thecæ nimirum adpoſitum. Unctus quoque OLEO *ſanctæ Crucis* Gerontius, priſtinæ ſanitati, quam amiſerat, reſtitutus eſt apud Cyrillum Scythopolitanum in Vita ſancti Sabæ, quam protulit Cotelerius in Monumentis Eccleſiæ Græcæ tomo III. pag. 292. num. XLVI. Paulinus Petrocorius (olim cum Nolano male conflatus) in Vita ſancti Martini hunc ritum, *olea*, *Sanctorum loculis* adponendi, indicat, loquens *de ſalutis medicina*, *pietatis opem*, ut ait, *poſcente*, & ſæpenumero *ducta ex oleo*, a viris ſanctis benedicto, vel etiam *Sanctorum corporum thecis* admoto. Paulini carmina proferamus ex libro V. *v.* 100.

Nec ſane alterius minor admiratio facti eſt,
Cujus me memorem medicati infuſio ſucci
Et decantati benedictio fecit olivi:
Et quoties pietatis opem medicina popoſcit,
Diſparibus cauſsis par gratia ſanctificavit;
Namque, ut ſæpe ſolent præcauto corde fideles,
Vas OLEO *oppletum ſervando, ea ducta ſalutis,*
Vel juſtis offerre viris, vel CONDERE SANCTIS
Relligione LOCIS; *quibus aut* OPERATIO *præſens*
Martyrii emeritos PRODIT *virtute* PATRONOS,
Aut quibus in cunas Verbum veniſſe beatas
Vel recolit manifeſta fides, vel lectio prodit.

Franciſcus Juretus, & Caſpar Barthius cuipiam ex his carminibus ulcus ineſſe exiſtimarunt. Verum ſi omnia penſiculate attendantur, nullo medicamine egere mihi videntur.

Mul-

Cap. XXXV.

XXXV.
Oleum in phialis, Sanctorum tumulis admotum, Reliquiarum loco habitum, diverſumque ab oleo lampadum.

MUltiplex chriſtianæ hujus diſciplinæ argumentum, *vaſa vitrea*, *oleo*, *nardo*ve plena collocandi ad loculos ſepulcrales Sanctorum, ſeorſum poſtea pro Reliquiis diſtribuendo, ſuppeditat veterrima Notitia (ſive Indiculus, fugientibus literis in phylira ſcriptus) ſacrorum *oleorum*, quorum plenas phialas, Reliquiis Sanctorum, qui tunc Romæ inſigniores habebantur, admotas, Magnus Gregorius ad Theodelindam Langobardorum Reginam dono miſit per Johannem Abbatem. Hunc enim ſe ad eam legaſſe teſtatur in fine epiſtolæ IV. libri III. ſecundum ordinem vulgatum. Indiculum, quovis pretio æſtimandum, in Annalibus MSS. Modoetiæ libro I. cap. XII. a Bonincontro Morigio commemoratum, a Bartholomæo Zucchio in Hiſtoriæ Theodelindæ cap. XXII. & a Joſepho Ripamontio in Hiſtoria Eccleſiæ Mediolanenſis Decade I. libro VIII. pag. 522. Mabillonius primus exſcripſit Mediolani in muſeo Septaliano, quo Modoetia translatus fuerat. De eo loquitur in Muſeo Italico tomo I. pag. 15. ante numerum XXIX. inque Epiſtola de Cultu Sanctorum ignotorum pag. 57. editionis II. ubi Indiculus ab eo editus proſtat pag. 120. Suis eum quoque Actis Martyrum ſubjecit Ruinartus pag. 619. edit. II. ratus poſt Mabillonium, *olea*, in Indiculo expreſſa, ex *lampadibus*, ad tumulos Sanctorum ardentibus, ſumta. Ego tamen aliis exemplis commonitus, minime dubito, quin ſumta fuerint ex *vaſis*, *oleo* plenis, tunc Sanctorum corporibus, tumuliſve admoveri ſolitis, ut plurimis & vetuſtiſſimis teſtimoniis comprobatur. *Olea* namque ex *lampadibus* non effuſa, ſed ſummos tantum digitos in eadem, ad tumulos, imagineſque Sanctorum in lam-

CAP. XXXV. lampadibus ardentia, intingere, mos fuit, quo ægræ corporis partes unctæ, per fidem in Deum ſaluti reſtituebantur. *Oleo* lampades ipſas vacuare dedecuiſſet. Id certe, non hoc poſterius, in ſacris veterum monumentis ſpeciatim expreſſum videmus, & diſertim expreſſit Gregorius Turonenſis lib. IV. Hiſtoriæ Francorum cap. XXXVI. pag. 177. tradens, *de* OLEO *cicindeli* (ideſt lampadis) *qui ad ipſum ſepulcrum* (ſancti Nicetii Lugdunenſis epiſcopi) *quotidie accenditur, cæcorum oculis lumen redditum*. Paria habet Anonymus Chiffletianus in Vita ſancti Nicetii penes Bollandianos to. I. Aprilis pag. 101. num. 7. Idem Gregorius in libro I. Vitæ ſancti Martini cap. XV. teſtatur de Fortunato & Felice, *ex* OLEO, *quod* (Ravennæ) *ſub imagine picturæ beati Martini in cicindeli ardebat, dum tetigerunt oculos, lumen rediiſſe*. Conſonat Paullus noſtras in libro II. de Geſtis Langobardorum cap. XIII. & ipſemet Fortunatus in libro IV. vitæ metricæ ſancti Martini prope finem, ubi codicem ſuum, ex Aquitania in Italiam properaturum, dimittens, alloquitur. Ipſos ejus verſus præſtat audire. Rem enim ob oculos ponunt in illius operibus pag. 336. editionis II. Browerianæ, alias mihi laudatæ:

Inde Ravennatum placitam pete dulcius urbem:
Pulpita Sanctorum per relligioſa recurrens,
Martyris egregii tumulum Vitalis adora,
Mitis & Urſicini Pauli ſub ſorte beati;
Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe
Fuſus humi ſupplex, & templa per omnia curre,
Et pete MARTINI *loculum, quo, jure ſacelli*
Jam deſperatum LUMEN *mihi reddidit auctor,*
Munera qui tribuit. Saltem, rogo, verba repende.

Eſt

Eſt ubi baſilicæ culmen Pauli, atque Johannis, CAP. XXXV.
Hic paries retinet Sancti ſub imagine formam:
Amplectenda ipſo dulci pictura colore.
Sub pedibus Juſti paries habet arte feneſtram:
Lychnus adeſt, cujus vitrea natat ignis in urna:
Huc ego dum propero, valido torquente dolore,
Diffugiente, gemens, oculorum luce, feneſtris
Quo procul, ut TETIGI *benedicto lumen* OLIVO,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſsit,
Et præſens medicus blando fugat unguine morbos:
Non oblita mihi mea lumina, munera Sancti.

Pluſculos verſus libenter adduxi, tum quia rem explicant, de qua loquimur, tum quia Muſæ Chriſtianæ ſimplices, & nullo fuco illitæ, animum noſtrum mirifice tangunt. In Vita ſancti Theodori Siceotæ apud Socios Bollandianos tomo III. Aprilis pag. 54. cap. XII. num. 98. miraculum narratur, *oleo* ardentis lucernæ ſancti Georgii martyris factum. Aliud quoque pag. 147. num. 55. de Saraceno, qui *oleo* lampadis ejuſdem martyris tinctus, morbo ſanatus eſt. Hæ *virtutes*, ut phraſi utar ſacræ Scripturæ, *oleo* lampadum, ante imagines, reliquiaſque Sanctorum ardente, non ſolum remotioribus ſæculis, ſed proximis etiam viſæ ſunt. De *oleo*, in lampade ante imaginem Deiparæ olim ardente, in quam digito immiſſo ſanctus Didacus ægrotos ſanabat, loquitur Xyſtus V. Pont. Max. in diplomate, quo eum Sanctorum canoni adſcripſit, pag. 237. noſtri Codicis alias memorati. De *oleo* quoque ſancti Aloyſii Gonzagæ vide Junium Bollandianum tomo IV. pag. 1080. ante num. 467. deque *oleo* ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Pactiis, conſule tomum VI. Maii pag. 338. num. 128.

Quæ

CAP. XXXVI.

XXXVI.
Vaſa oleo plena Sanctorum tumulis olim admota, adhuc ſuperſunt.

Quæ ergo in phylira Gregoriana dicuntur OLEA *Sanctorum, qui Romæ in corpore requieſcunt*, non ſunt certe *olea lampadum*, nec lucernarum, quæ ante ſepulcra illorum arderent, ſed ſunt *vaſa*, *oleo* plena, aliunde allata, eorundemque Sanctorum loculis admota, & pro Reliquiis ad Theodelindam tranſmiſſa: quæ quidem vaſa, *oleo* plena, in baſilica Modoetienſi adhuc poſt ſæculorum memoriam in pulcherrima arca marmorea ſervari, auctor eſt Morigius lib. I. Annalium cap. XII. & ex eo Zucchius, qui cap. XXII. eadem vaſa, *tredecim* eſſe teſtatur. Ex Sanctis in Modoetienſi phylira expreſſis non ſolum permulti ſunt *martyres*, ſed & *Confeſſores*, interque hos ſummi Pontifices, *Silveſter*, *Damaſus*, *Marcus*, ne de horum quoque, tanquam martyrum, *ſanguine* ſuſpiceris, tametſi vaſa *oleo plena*, de *ſanguine* ſuſpicari neutiquam ſinunt. Immo recenſetur in phylira etiam OLEUM *de Sede, ubi prius ſedit ſanctus Petrus*. Huic enim Sedi tanta veneratio olim eſt habita, ut vaſa *olei*, pro Reliquiis habendi, ei quoque admoverentur. Ex pretio hujus ſpectatiſſimæ chartæ Ægyptiæ non magnam ſuam perſpicaciam tandem agnoſcant qui, aliis ſtudiis innutriti, veteres chartas omnes palam contemnere audent, haſque in lucem edi non probant. Hi vero facile Baronium etiam contemnent, qui magnos Annales veteribus chartis implevit. Immo ad omnem auſum parati, ipſos Pontifices ſummos contemnent, qui bono rei publicæ in arce literaria Bibliothecæ Vaticanæ & Tabularii eidem adnexi veteres chartas undique conquiſitas, theſauri loco ſervari voluerunt. Hæ porro chartæ libenter a viris non ſtultis leguntur, & magni fiunt.

Ita-

CAP. XXXVII.

XXXVII. Phialæ vitreæ cum oſſibus Auguſtini cur vacuæ repertæ.

ITaque planum eſt, duas illas *ampullas vitreas*, in arca argentea oſſium *Auguſtini* vacuas, nullumque tincturæ veſtigium referentes, quondam *oleo* plenas fuiſſe: quod, licet diu in vitreis phialis clauſum, in eis tamen olearem maculam, coloremve nullum reliquit. Iſtud *oleum* ex utraque phiala *Auguſtiniana* tunc pro Reliquiis eductum facile fuit, phialæque ipſæ in arca argentea extra plumbeam vacuæ relictæ, quum Liutprandus exuvias ſancti Doctoris in eadem arca argentea locandas curavit. *Vacuæ* propterea in arca depoſitæ, neque inde ablatæ, quod poſtquam ſanctos cineres tetigiſſent, nefas eſſet inde illas, præter *oleum*, extrahere, tunc nondum immutata, ſed ſancte adhuc & religioſe obſervata Eccleſiæ diſciplina *de non tangendis & auferendis Sanctorum Reliquiis*: quæ poſtea diſciplina, regnante Aiſtulfo, Liutprandi poſt Ratchiſium Regem altero ſucceſſore, peſſumdari cœpit, ut dictum cap. XXXIV. Geminam quoque hujuſmodi phialam *oleo* plenam, in civitate Metenſi cum aliis Sanctorum Reliquiis etiamnum ſervari, auctor eſt Ruinartus in Itinere literario Alſatico & Lotharingico pag. 478. Modoetiæ in Inſubribus quaſdam pariter ſupereſſe jam dixi capite proximo. Quare de corpore *Auguſtiniano* ſcribentes, ob rei eccleſiaſticæ ignorationem fruſtra in his *phialis* olearibus ſuopte ingenio explicandis laboraverunt. Leo Oſtienſis vocatur ad partes in lib. III. Chronici Caſinenſis cap. XXX. (non XXVIII. ut errore typographi legitur apud Baronium A. D. 1023. §. I. quem, inconſulto Leone, exſcripſerunt) quaſi ſpongiam, *Auguſtini* ſanguine madidam, cum aliis Reliquiis Caſinum miſſam tradidiſſet a Benedicto VIII. Pont.

 Max.

CAP. XXXVII. Max. qui ſedit ab A. D. 1012. ad A. D. 1024. Sed nullam hujuſmodi *ſpongiam* Caſinum miſſam, exploratiſſimum eſt. Hoc liquet ex ipſis verbis Leonis, Reliquias a Benedicto VIII. Caſinum miſſas ſingulatim enumerantis, ſub ſuo quaſque lemmate a me ordinatim diſpoſitas, ut hoc pacto oculus, nedum intellectus, de rei veritate judicium ferat.

Reliquiæ autem iſtæ ſunt:

De ligno Domini.
De ſanguine Domini.
De veſtimentis Domini.
De ſpinea corona
De lapide ſancti ſepulcri.
De VELO *ſanctæ Dei genitricis Mariæ.*

Apoſtolorum.

Petri.
Pauli.
Andreæ.
Johannis.
Jacobi.
Thomæ.
Bartholomæi.
Matthæi.
Simonis.
Judæ.
Matthiæ.

Spongia cum ſanguine ſancti protomartyris Stephani.
Laurentii.
Stephani Papæ.
Pelagii Papæ.
Martini epiſcopi.

Pru-

Prudentii.
Juliani.
AUGUSTINI.
Chriſtophori.
Æmiliani.
Nicandri.
Marciani.
ALEXII.
Anaſtaſiæ.
Eugeniæ.
Johannis.
Pauli.
XL. Martyrum,
Et aliorum multorum LOCATAE *ſunt*,

Reliquiæ nimirum, initio lemmatis generalis indicatæ. Vides, ſingulatim illas diſtingui, & ſeorſum quaſque numerari, tanquam dependentes ab eodem primo lemmate generali, quod omnem ſubſequentem *Reliquiarum* cenſum ſub ſe complectitur; unamque ex his eſſe conſtat *ſpongiam cum ſanguine* ſolius protomartyris Stephani, non vero eandem *ſpongiam* novum eſſe lemma, quo ſanguis aliorum Sanctorum comprehendatur, qui ante & poſt *Auguſtinum* ibidem mox numerantur. Horum enim Reliquiis nihil eſt cum *ſpongia ſanguinea* Stephani; alias magna ſanguinis copia Caſinum mitti debuiſſet. Longiuſculum laterculum ad hoc demonſtrandum diſpoſui, in quo ſancti *Alexii* confeſſoris Reliquias recenſeri video; idque obiter ſpeciali nota dignum exiſtimo. Confer, ſi lubet, Hermannum Tornacenſem, A.D. 1095. viventem, apud Dacherium in Spicilegio tomo XII. pag. 432. & Bollandianos ſcriptores tomo IV. Julii pag. 252. §. 6. Quidnam vero ſpeciatim ex ſancti *Auguſtini* Reliquiis Caſinum a Benedicto VIII. miſſum fuerit, ignoratur. Sed

CAP. XXXVIII. perexigua res fuerit oportet inter tot Sanctorum lipſana, quæ poſt ea etiam, quæ nominatim recenſuimus, ibidem reliqua ſunt. Jam ad alia procedamus.

XXXVIII. Velum cum Reliquiis Auguſtini repertum. Vela, ſanctorum corporibus advoluta.

PRæter duas *phialas vitreas*, in arca argentea repertum eſt etiam *velum* cum oſſibus *Auguſtini*. In ſcriptis hac de re editis idem *velum*, quaſi nihil notatu dignum præſeferens, magno ſilentio præteritur. Sed *velum* iſtud nullo pacto indictum præteriri debuit. Eo enim *Auguſtini* corpus de antiquo ritu & more chriſtiano contectum eſt, ideo in re ſepulcrali Sanctorum maximi faciendum. Hujuſmodi *vela*, quæ etiam *brandea*, *ſudaria*, *oraria*, *pallæ ſericæ*, & *lintea* dicta ſunt, Sanctorum corporibus advoluta, in eorundem loculis reperiri aliunde probatur. Sane *velum rubrum*, in arca argentea cum corpore ſancti Remigii Antiſtitis in eccleſia Remenſi repertum, *brandei* vocabulo appellatur a Frodoardo in Hiſtoria Remenſi libro I. cap. XX. Conſule Mabillonium in Annalibus Benedictinis tomo III. libro XXXIV. cap. XLII. Pari modo Romæ corpora ſanctorum Martyrum Urbani & Lucii Pontificum A. D. 1599. ſubter arcam marmoream ſanctæ Cæciliæ reperta fuerunt *proprio ſeparatim* VELO *circumvoluta*, ut nos docent oculati & præclari talium obſervatores Bollandiani tomo VI. Maii, pag. 9. num. 15. Sancti Martini Turonenſis epiſcopi corpus quoque repertum eſt *ſub altari in urna alabaſtrina ſerico velo contectum*. Hoc præter eximium Ruinartum ad Gregorium Turonenſem pag. 1391. lit. A. produnt iidem Bollandiani tomo VI. Junii pag. 136. §. 15. 16. Corpori ſancti Germani Altiſſiodorenſis (alias Antiſſiodorenſis & Au-

Autiſſiodorenſis) epiſcopi, Ravennæ defuncti, involvendo, Galla Placidia Auguſta *pretioſum ſudarium* ſuppeditavit ſancto Petro Chryſologo: quod ex Calviniana ſtrage adhuc ſupereſſe teſtatur Mabillonius in Annalibus libro II. pag. 47. ubi illud accurate deſcribit. Similiter Auguſtoduni ſancti Rachonis, urbis epiſcopi, corpus die 1. Februarii A. D. 1699. poſt aram maximam *ſub velo* repertum fuiſſe auctor eſt Bocquillotius lib. I. cap. V. pag. 85. His *velis*, *pallis*, *brandeis* & *ſudariis*, quæ *oraria*, *pepla*, *pallia*, *palliola*, & *velamina* etiam dicebantur, pleni ſunt omnes libri. Admota loculis, & eo magis corporibus Sanctorum, pro *Reliquiis* habita fuiſſe, certiſſimum eſt. Ex his decerptæ particulæ, quod pignora Sanctorum, in thecis ſub altaribus clauſa, per *feneſtellas*, ſeu *cataractas* immiſſæ, tetigiſſent, eodem, quo reliquiæ honore, ab omnibus habitæ, *ſanctuaria* dicebantur. Gregorius Turonenſis libro II. cap. XXXIV. & XXXV. de Gloria martyrum, Reliquias ſancti Juliani vocat *fimbrias pallæ, quæ ſanctum tetigit tumulum*. De *brandeis* poſt Cangium in Gloſſario, ſcribentem conſule Mabillonium in Epiſtola de cultu Sanctorum ignotorum pag. 70. editionis II. tunc ſcilicet crebro occurrentibus, quum illis tantum, non manibus, aut ſummis digitis, Sanctorum oſſa attrectare, nedum quidpiam ex iis detrahere vel abradere, fas eſſet. Hac de re notiſſima eſt Gregorii Magni epiſtola XXX. libri III. ad Conſtantinam Auguſtam. Adi Johannem Diaconum in Vita Gregoriana libro II. cap. XLII. & Baronium A. D. 766. §. VII. Ut *veli*, ſupra corpus *Auguſtinianum* reperti, ingens pretium intelligatur, hæc, eo reſpicientia, adducere viſum eſt. Sed & alia nonnulla in tranſcurſu adducenda ſunt, ut lectoris

CAP. XXXVIII.

CAP. XXXIX. ctoris animum, nugarum tædio nauſeantem, adhuc paullulum reficiamus.

XXXIX.
Vela, tumulis Sanctorum admota, in ſumma olim veneratione habita. Cur ligni fruſtula cum Reliquiis Auguſtini reperta.

GRegorius Turonenſis, priſcæ pietatis, & majorum diſciplinæ graviſſimus teſtis, in libro I. de Gloria martyrum cap. XXVIII. de Vaticano Petri Apoſtoli conditorio verba faciens, tradit, *palliola* per ſtateram ex *parvula feneſtella* in Confeſſionem immiſſa, unde ſurſum educta, pro ſacris pignoribus habita, & fide prævalente, divina virtute referta. De hoc ipſo loquentem vide Baronium A. D. 416. §. XXI. & A. D. 461. §. V. Sed prætereundæ non ſunt Juſtiniani, Domeſticorum Comitis, ac deinde Auguſti poſt Juſtinum, atque Hormiſdæ pontificis literæ (a viris doctis alias laudatæ) de ſacris hujuſmodi *brandeis* agentes, in Conciliis Labbeanis tomo IV. pag. 1516. Juſtinianus ergo A. D. 519. Conſtantinopoli baſilicam Deo in honorem Apoſtolorum conſtruxerat, in qua sanctorum Laurentii martyris, & Apoſtolorum Petri & Paulli Reliquias collocare ſtatuerat. Ut has ab Hormiſda obtineret, Eulogium primo in Urbem direxit, deinde Legatis Hormiſdæ Conſtantinopoli commorantibus ſuam petitionem aperuit. Verba Legatorum ad eundem Hormiſdam hæc ſunt: *filius veſter magnificus vir Juſtinianus, res convenientes fidei ſuæ faciens, baſilicam sanctorum Apoſtolorum, in qua deſiderat & beati Laurentii martyris reliquias eſſe, conſtituit. Sperat per parvitatem noſtram, ut prædictorum Sanctorum Reliquias celeriter concedatis.* Hi tamen Juſtiniano expoſuerunt, nefas eſſe in Eccleſia latina tangere, nedum ſcindere, corpora Sanctorum. *Brandea* tantum, iis admota, deque *raſura clavium Confeſſionis* beati Petri in clavim auream im-

immiſſa, pro Reliquiis dari conſueviſſe. Nos ipſi de hoc ritu olim ſcripſimus in Diſſertatione de Corona ferrea cap. III. *Habuit quidem* (inquiunt Legati ad Pontificem) *petitio prædicti viri* (Juſtiniani) *ſecundum morem Græcorum. Et nos contra, conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ expoſuimus. Accepit rationem. Et quia talis eſt fervor fidei ejus, qui meretur quicquid de Apoſtolica Sede depoſcerit: & talis eſt, qui ſperat, unde & ſalus animæ, & fidei effectus accreſcat; talibus deſideriis poſtulata competit non negare; unde, ſi Beatitudinis veſtræ videretur*, SANCTUARIA *beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundum* MOREM *ei largiri præcipite; &, ſi fieri poteſt, ad* SECUNDAM *cataractam ipſa* SANCTUARIA DEPONERE, *veſtrum eſt deliberare. Petit & de* CATENIS *ſanctorum Apoſtolorum, ſi poſſibile eſt, & de* CRATICULA *beati Laurentii martyris. Iſta ſunt deſideria prædicti viri. In hoc fides illius eſt incitata. Propter hoc in Urbem veſtram virum ſpectabilem Eulogium Magiſtrianum direxit, hoc ſibi ſatisfacere judicans, ſi de ipſo fonte, de quo per omnem terram* SANCTUARIA *Apoſtolorum ſunt data, inde & ipſe Reliquias ſuſcipere mereatur*. His Legatorum epiſtolæ verbis poſtrema etiam adſcribam, quia non ſolum idipſum urgent, ſed & CAPSAS ARGENTEAS pro iiſdem Reliquiis recipiendis memorant. Hoc vero Liutprandi Regis *capſæ* illi *argenteæ*, recipiendis *Auguſtini* exuviis dicatæ, mirifice congruit. Legati ergo ſic ad Hormiſdam ſcribere pergunt: *Et bene facitis, cauſſam eccleſiaſticam magnopere in conteſtatione Dei tali homini commendare, cujus ſinceritas & integritas circa religionem catholicam, nota eſt omnibus hominibus. Hic voluerunt* CAPSELLAS ARGENTEAS *facere & dirigere. Sed poſtea cogitaverunt, ut & hoc*

CAP. XXXIX.

CAP. XXXIX. *& hoc quoque a veſtra Sede pro benedictione ſuſcipiat. Singulas tamen* CAPSELLAS *per ſingulorum Apoſtolorum Reliquias fieri debere ſuggerimus*. Non his contentus Juſtinianus, ipſemet ad Hormiſdam literas dedit, in quibus hæc habet: *præſumentes de Beatitudinis veſtræ benevolentia, paternam dilectionem nimium petimus, quatenus Reliquiis sanctorum Apoſtolorum tam nos, quam Baſilicam eorum, hic in domo noſtra ſub nomine prædictorum venerabilium conſtructam, illuſtrare & illuminare large dignemini, cognoſcentes, quod nullum nobis majus beneficium nec munus præſtare poteſtis, Domine beatiſſime Pater, quam, ſi hanc noſtram petitionem adimpleveritis*. Tandem Hormiſda Juſtiniani precibus gratificatus, hæc ad eum reſcripſit epiſtola LXVI. *beatiſſimorum vero Apoſtolorum Petri & Pauli* SANCTUARIA, *ſicut religioſiſſimo quæſiſtis affectu, per harum portitorem ſub omni veneratione tranſmiſimus*. Unum ex hujuſmodi *ſanctuariis*, ſeu *brandeis* ad Brunichildem Francorum Reginam tranſmiſſum, adhuc Luteciæ ſub nomine *corporalis sancti* Petri ſervatur in ſacrario cœnobii sancti Germani, poſt alios tradente Ruinarto in notis ad Gregorium Turonenſem pag. 752. Modoetiæ pariter in æde principe, ſub nomine *corporalium Apoſtolorum* quædam hujuſmodi *brandea*, per sanctum Gregorium ad Theodelindam miſſa, hactenus cuſtodiri, nos docet Zucchius in Hiſtoria ejuſdem Reginæ pag. 35. ex Annalibus Bonincontri Morigii, qui libro I. cap. XII. eadem generali nomine *Reliquiarum* comprehendit. Ne vero *brandea* medio tantum ævo a nobis quæri arbitreris, conſule Cyrilli Hieroſolymitani cathecheſin XVIII. ante caput XVII. pag. 293. editionis novæ, eique ſubjectam adnotationem Antonii Auguſtini Tout-

Toutteei. De virtute ſimilium *brandeorum*, quæ beatus Cyrillus Græce, perinde ac nos latine, *ſudaria* vocat & *ſemicinctia*, agit a me alibi adductus Bocquillotius in Tractatu hiſtorico de Liturgia ſacra libro I. cap. V. pag. 98. & 99. ubi eos merito arguit, qui veteris Eccleſiæ diſciplinam, veramque majorum pietatem ignorantes, hæc *brandea*, non ſine magna veneratione a priſcis uſque ſæculis cuſtodita, comburere audent, cœco id zelo damnantes, quod eſt argumentum Chriſtiani cultus, & ſumme venerabilis antiquitatis. Aquilejæ inter ſacras Reliquias Confeſſionis in baſilica patriarchali *brandeum* quoque a plurimis ſæculis adhuc poſt exciſam maximam urbem conſpicitur, quod Henricus Palladius initio libri VI. Rerum Foro-Julienſium, *velamen*, primo Aquilejenſium epiſcopo Hermagoræ a Petro Apoſtolo traditum, vocat. In æde Andecenſi (alias *Montis sancti* in Bavaria) cum aliis Reliquiis, in Junio Bollandiano expreſſis to. III. pag. 899. col. I. num. 5. & 6. exſtant duæ *mappæ*, prior dicta Domini noſtri, altera Beatæ Mariæ Virginis: quas non dubito, quin ſint *palliola* vel *brandea*, Sanctorum Reliquiis admota. Hoc pacto alia *vela*, in aliis eccleſiis pie cuſtodita, ab imperitorum auſibus facile vindicantur. Huc referendum putamus *velum Mariæ Virginis*, ſuperius memoratum apud Leonem Oſtienſem, cum alio in Lupia ſacra Julii Cæſaris Infantini pag. 51. Maxime clarum eſt ergo, hæc *brandea*, quæ communiori vocabulo, *ſanctuaria* dicebantur, eo tempore, quo corpora & membra Sanctorum in Eccleſia latina tangere, nedum diſcerpere & ſcindere atque evellere, nefas erat, apud catholicos plurimi facta, iiſdemque, non aliis Reliquiis, conſueviſſe altaria, oratoria, & baſilicas conſecrari, CAP. XXXIX.

 erui-

CAP. XL. eruimus ex celeberrimo libro Diurno Romanorum Pontificum pag. 94. & 100. Ad *velum* illuſtrandum, quod ſupra *Auguſtinianos* cineres in *arca argentea* repertum eſt, hæc pro re nata dicta ſufficiant. Vetus, pura,& ſimplex majorum pietas erga Sanctorum Reliquias hæc fuit. Quod ſi alicubi recens mala ſoboles alio deflectit, atque ea, quæ dixi, ludibrio fortaſſe habet; tu eam non puſillo gregi noſtro, ſed turbæ impiorum adnumera. Præter *phialas vitreas* & *velum*, duo ligni fruſtula in arca reperta, Crucem olim conſtituiſſe arbitramur; quandoquidem Antonius Boſius in Roma ſubterranea libro I. cap. xx. non ſolum *aureas*, *argenteas*, *æneaſque* Cruces intra arcas & tumulos Chriſtianorum, ſed & *ligneas* reperiri teſtatur. His explicatis, quæ in arca *Auguſtiniana* occurrerunt, de lævæ ſcapulæ brachio, ſive oſſe ab humero ad cubitum, quod in *Auguſtiniani* Corporis ſingularum partium recenſione deeſſe obſervavimus, quid factum, jam tandem, ut antea ſpopondimus, expiſcari ſtudeamus.

XL.

Sanctus Egelnothus Ticini non emit, ſed dono habuit brachium Auguſtini, cujus corporis pretium ad brachium male translatum.

Livingo Cantuarienſi Archiepiſcopo A.D. 1020. e vivis erepto ſanctus *Egelnothus*, cognomento *Bonus*, ſuffectus eſt, qui a Benedicto VIII. Pontifice A. D. 1022. *pallium* de more ſuſcepit. Ita veteres tabulæ in Henrici Whartoni Anglia ſacra Parte I. pag.5. 86. 106. 791. Tot loca indico, ut in ejuſdem Angliæ ſacræ Parte II. pag. 683. error apud Radulfum de Diceto expungatur, ubi Benedictus IX. ſive VIIII. pro VIII. irrepſit, licet utroque ſedente ſederit *Egelnothus*. Hic pro more Septentrionalium, ad varios pronunciandi modos ſcripturam adcommodantium, *Ethelnothus* etiam, *Edelnothus*, *Egelnodus*, *Agelnothus*, & *Alnotus* dictus occur-

occurrit. Nos primum nomen, quod frequentius eſt, ceteris præferimus. Itaque *Egelnothus* A. D. 1022. pallio, metropolitici juris ſigno, a Pontifice honeſtatus, in Angliam reverſus eſt, ſancti *Auguſtini* Hipponenſis epiſcopi brachium, ſive os ab humero ad cubitum, ſecum ferens: quod Guillelmus Malmesburienſis ob rei præſtantiam ſemel atque iterum literis conſignavit. Libro enim II. cap. XI. de Geſtis Regum Anglorum pag. 75. editionis Savilianæ, ait, ſanctum Præſulem Roma Ticinum petiiſſe, unde *brachium ſancti Auguſtini doctoris, centum talentis argenti, & talento auri comparatum, apud Conventrejam miſit*. Poſtea libro IV. de Geſtis Pontificum Anglorum pag. 289. hæc pariter habet: *Conventrejæ habetur brachium magni Auguſtini, theca incluſum argentea, cernunturque in cælatura hujuſmodi literæ: hoc brachium ſancti Auguſtini Egelnothus Archiepiſcopus rediens a Roma ad Papiam, emit centum talentis argenti, & talento auri*. Ex Guillelmo eadem proſtant in Monaſtico Anglicano to. I. pag. 302. col. 2. idemque ex eo narrat quoque Helinandus in Chronico, ne de errore librariorum in Guillelmi loco gemino ſuſpiceris. Quare nullum eſt dubium, quin brachii munus eximium *Egelnothus* obtinuerit, non *Canutus*, Anglorum & Danorum Rex, quem ſcriptores Septentrionales *Cnutum*, & *Cnutonem* dicunt, cuique hoc tribuit Baronius A. D. 1027. §. VII. Mabillonius, vir accuratiſſimus, in Sæculo VI. Benedictino, Parte I. pag. 447. miratur, quomodo tantus vir ab *Egelnotho* ad *Canutum* errare potuerit. Ego neutiquam miror, qui magnos viros in rebus maxime claris interdum errare deprehendo, quique Baronium ſcio hominem fuiſſe, non Deum. Ii ſoli non errant, qui

CAP. XL.

 nihil

CAP. XL. nihil ſcribunt. Occaſio erroris hæc fuit. Baronio verba Malmesburienſis exſcribenti, ab *Egelnotho* ad *Canutum*, ibi proxime nominatum, oculus fugit, proque *Egelnotho* ſcripſit *Canutum*. Error fuit oculi, non mentis. Quid? quod Mabillonius Baronium arguens, ejus errorem ſequitur tomo IV. Annalium pag. 340. cap. XXXI. Namque A. D. 1027. adſignat, quod A. D. 1022. adſignandum erat. Michael Alfordus, qui in Annalibus Britannicis to. III. pag. 482. biennio citius, quam debuit, hæc locat A. D. 1020. jure improbat ſcribentes, *Egelnothum* non *Ticini*, ſed *Romæ* brachium *Auguſtini* a Benedicto Pontifice *emiſſe*. Nihil profecto æque fabuloſum atque hoc, ſcribi poterat. At quum *Egelnothus* nec dives fuerit, neque impius, qui rem ſacram, & tanto pretio emere potuerit, Alfordus Guillelmi verbis ulcus ineſſe merito ſuſpicatur. Nunquam enim fas fuit, Sanctorum Reliquias venundari: ſique interdum id factum, ſemper tamen fuit improbatum, ut nefas. Vide Ferrandum in Diſquiſitione Reliquiaria libro I. cap. x. artic. II. pag. 261. Guillelmus, qui ſupra centum annos poſt *Egelnothum* hæc ſcripſit, *magnum pretium*, a Liutprando Rege in toto *Auguſtini* Corpore a Barbaris *redimendo* pie numeratum, atque a Beda, aliiſque, ut dixi, generatim expreſſum, ad unius brachii *emtionem* non bene tranſtulit. Si enim pretium iſtud viliſſime ſupputaveris, obſervante Alfordo, *quadraginta aureorum millia* conficiet. Si vero Caſparem Scioppium conſulamus in Tabula v. nummaria apud Jo. Fridericum Gronovium in fine libri IV. de Seſtertio pag. 895. editionis I. ſola centum talenta argenti, noſtro numerandi modo, *ſexaginta millia ſcutorum* conficiunt. Adde *talentum auri*, habebis ſummam longe am-

ampliorem. Tantum vero pretium a Rege illa ætate, non a Præſule, cujus ſedem Cantuariam Dani pridem vaſtaverant, numerari poterat. Quippe audiendum non puto Claudium Caſtellanum, in Martyrologio univerſali pag. 988. *talenti* nomen pro *marca* hoc loco accipientem. *Talentum* enim, non *marcam* uſurpavit Hiſtoricus. Vide tamen, ſi lubet, Cangium v. *talentum*, & v. *marca*. Mihi enim his immorari non vacat. Itaque nullus ambigo, quin Guillelmus ex notitiis, ab ſe male digeſtis, errans, pretium pro toto corpore *Auguſtini* redimendo olim ſolutum, unius brachii emtioni falſo adplicuerit, Cantuarienſi Primati tribuens quod Regi Langobardorum tribuendum fuerat. Quomodo vero brachii diſtractio A. D. 1022. non *Romæ*, ſed *Ticini* a Benedicto VIII. facta fuerit, jam videamus.

XLI.
Benedictus VIII. Ticini Concilium habet, & brachium Auguſtini Egelnotho concedit.

GAbriel Coſſartius, in colligendis veterum Synodorum actis Labbei ſocius, to. IX. pag. 819. ex codice MS. primus vulgavit Concilium de continentia Clericorum a Benedicto VIII. Pont. Max. Ticini celebratum coram *plurimo cœtu epiſcoporum*, ut ait ſanctus Henricus I. Imperator, qui præſens eidem ſubſcripſit, & *volente* ac *rogante* pontifice, ipſum *humanis legibus firmavit* & *corroboravit* pag. 830. 831. Ex *plurimis* tamen illis epiſcopis ſeptem dumtaxat, primis nominum literis ſubſcripti, ſuperſunt, omnes Mediolanenſi metropoli contributi, omneſque eodem A.D.1022. certe ſuperſtites, ut de ſingulis facile oſtendi poteſt. Synodi annum Coſſartius non adſignavit, id tantum conſtare adnotans, eam celebratam inter A. D. 1014. quo Benedictus VIII. pontificatum, & Henricus I. imperium tenuerunt,

CAP. XLI. runt, atque A. D. 1024. quo uterque ſupremum diem obiit. Ceterum A. D. 1022. Henricum I. Auguſtum in Italiam deſcendiſſe, inque ea verſatum, certiſſimis monumentis proditum eſt. Expeditionis cauſſa fuit, ut Græcos & Saracenos, Apuliæ & Campaniæ oris infeſtos, ac Romæ ipſi ferme incubantes, retunderet. Vide Mabillonium tomo IV. Annalium libro LV. cap. XIV. pag. 288. & pag. 291. ante cap. XX. ubi sanctum Imperatorem in agro Lucenſi die XXIII. *Julii* ejuſdem anni 1022. moratum adnotavit. Quum autem dira lues ejus copias invaſiſſet, ipſe Ticinum ad Pontificem properavit, ubi *Kalendis Auguſtis* Concilio interfuit, eique ſubſcripſit apud Labbeum pag. 630. 631. Addam verba Anonymi Saxonis, quem illuſtris Eccardus primus vulgavit in Corpore hiſtorico tomo I. pag. 454. Aperte enim hanc Synodum Ticinenſem exprimere mihi videtur, ubi tradit, Henricum CITATO CURSU *tranſgreſſum Alpium* (ideſt Apennini) *cacumina*; *mox* SYNODALE *colloquium*, *confluentibus* UNDIQUE *diverſarum regionum Epiſcopis*, *aliiſque populis quamplurimis*, *in partibus peregiſſe* OCCIDENTALIBUS; nimirum Ticini in *Langobardia*: quam pariter OCCIDENTALES *regiones* vocat Ditmarus reſtitutus in Chronico libro VI. pag. 397. editionis Leibnitii. Mediæ ætatis ſcriptores eas Italiæ *partes* & *regiones* OCCIDENTALES, *Heſperiam*, & *Neuſtriam*, quod perinde eſt, appellaverunt, quemadmodum aptis teſtimoniis in Vita claræ memoriæ Philippi a Turre Adrienſis epiſcopi cap. II. ante ejus Commentarium de Antii monumentis editionis III. Romanæ pridem oſtendimus. Caput autem *Neuſtriæ* erat Ticinum, *regiæ* civitatis elogio a veteribus honeſtatum. Nullum vero Concilium præter hoc Ticinenſe, a *plurimis*

Epi-

Epiſcopis tunc celebratum fuiſſe comperimus. Non enim cum viris doctis verba Saxonis ad Selingenſtadienſe, vel Aquiſgranenſe trahenda ſunt, quæ non hoc, ſed inſequenti A. D. 1023. extra Italiam *perpauci* epiſcopi celebraverunt. Vir egregius Jo. Baptiſta Sollerius, qui Actis Sanctorum Bollandianis ſedulo proſequendis eruditam operam impendit, verba alterius Saxonis, quem edidit Leibnitius, rem paullo aliter narrantis, adduxit tomo III. Julii, de Sancto Henrico agens pag. 743. num. 150. & Mabillonius in tomo IV. Annalium pag. 291. quaſi magnum iſtud Concilium in *Germania* habitum fuiſſet: quod tamen certo adſignare non poſſunt. Sed monemus, verba illa eſſe confuſa: quod Sollerii ſagacitas alibi non ſemel in eodem Chronographo animadvertit. Corrigenda ea ſunt & reſtituenda ex alterius Anonymi Saxonis ab Eccardo prolatis Annalibus: quos in eadem hac re, de qua agimus, olim expreſſit Browerus Trevirenſium Annalium tomo I. libro XI. pag. 511. col. 2. Non eſt hoc loco mihi tacendus præclarus & vir & amicus Guido Grandius Abbas Camaldulenſis, qui in pererudita Epiſtola de Pandectis Florentinis pag. 9. tantum non attigit hujus Ticinenſis Concilii epocham, ubi ait, *circa annum* 1022. id celebratum. Unde vir doctus hoc hauſerit, neutiquam prodit, neque jam vacat ſcriptis ad eum literis hoc ſciſcitari. Quum ergo ex tabulis Anglicanis *Egelnothus* A. D. 1022. Ticini ſubſiſtens *Auguſtini* os ab humero ad cubitum impetraverit, occaſione tam numeroſi Concilii coram Pontifice & Imperatore ſubſtitiſſe dicendus eſt, eodemque Benedicto favente os impetraſſe, & tunc ea diſtracta, quæ dixi cap. XXII. ipſumque Pontificem *Auguſtini* Reliquias habuiſſe: quas poſtea, uti

uti patuit ex Leone Oſtienſi, Caſinum miſit. Idem Primas Cantuarienſis *Auguſtinianum* os *Conventrejæ*, alias *Conventriæ*, cœnobio agri Warvicenſis in diœceſi Ceſtrienſi *debito honore* depoſuit: quod poſtea cum aliis permultis Sanctorum Reliquiis in Abbatiam Glaſtonienſem agri Somerſetenſis translatum colligimus ex Monaſtico Anglicano tomo 1. pag. 6. col. 1. num. 40. Quod corpus hiſtoricum ex laceris antiquitatis reliquiis, tanquam ex membris Abſyrtianis longe lateque diſſipatis, primus orbi Chriſtiano conſtruxit Rogerus Dodſworthius Eboracenſis, jure propterea laudatus a Johanne Marshamo ante finem eximii propylæi, quod ingenti operi, & ſpiſſo ac perinſigni catholicæ in Anglia religionis monumento, præpoſuit.

XLII.
Summorum Pontificum, Præſulum Ticinenſium, & plurium auctorum de Auguſtini corpore, in Ticinenſi Confeſſione ſervato, teſtimonia, a Paſchali II. ad Urbanum VIII.

HActenus ea digeſſimus, quæ Hipponenſis præſulis corpus, reliquiaſque debita, ideſt ſumma, religione Ticini ſervatas, ac tandem certo repertas ſpectare, atque omnibus undequaque conſpicuas facere poterant. Nunc alia quædam æque gravia ſeorſum pro coronide hoc loco ſuperaddere præſtat, ſervato rerum & temporum ordine, quo ea in acta publica, & præſertim in ſummorum Pontificum diplomata, miſſa fuerunt. Horum enim major pars prodiit ex ipſo ore Pontificum, palam teſtantium, celeberrimum *Auguſtini* pignus ibidem loci ſemper quieviſſe, ubi tandem A. D. 1695. ad eorumdem pontificiorum diplomatum fidem repertum eſt. Scio, in aliquo ex ſcriptis forenſibus, hac de re olim furtive in indebitam lucem datis, ad infirmandas maximorum Pontificum de corpore *Auguſtini* loquentium conſtitutiones, quædam legi, quæ ſummam audaciam præſeferunt, quæque hoc loco

non

non moror. Ajo tamen, complurium Pontificum CAP. XLII.
Conſtitutionibus, longo ſæculorum ſpacio uno ſemper tenore vulgatis, apud ſanæ mentis præditos judices in luce hominum eam ſaltem fidem negari ullo pacto non poſſe, quæ complurium & gravium hiſtoricorum concordi teſtimonio haudquaquam negatur. Itaque hanc unam fidem hiſtoricam ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, de *Auguſtini* corpore loquentibus, dari flagitamus. Quin hoc unum, etſi cetera deeſſent, cauſſæ huic ſufficiat, minime dubitamus.

1 Prodeat ergo primo loco Paſchalis II. Conſtitutio, data Laterani xv. Kal. Apriles A. D. 1105. 1105.
ad Anſelmum Abbatem *cœnobii ſancti Petri in Cœlo aureo*, ubi *ſancti confeſſoris ac doctoris præclariſſimi Auguſtini pretioſum* CORPUS *a Liutprando, quondam Rege*, DIGNOSCITUR *honorifice reconditum*. Ubinam vero fuit *reconditum*? Utique non alibi, quam in ſacra ædis *Confeſſione*, ut fuſe a me ſuperius oſtenſum eſt.

2 Paſchalem II. ſubſequitur Innocentius II. qui Placentiæ II. nonas Junias A. D. 1133. ad eumdem 1133.
(vel alium) Anſelmum Abbatem literas dedit, in quibus ait, ſe *manu propria* monaſterium conſecraviſſe ſancti Petri in Cœlo aureo, quod *beati Auguſtini, Doctoris egregii*, CORPORALI PRÆSENTIA *illuſtratur*. Innocentius ergo *Auguſtini* corpus ipſum coram veneratus fuerat. Quomodo autem illud venerari poterat, ſi ignoratum latebat *in profundo & ſecretiſsimo loco*? Utraque hæc Conſtitutio exſtat apud Pennottum, Canonicis regularibus minime ſuſpectum ſcriptorem, in Hiſtoria tripartita (ab ea, quam Caſſiodoro debemus, longe diverſa) libro I. cap. LXI. pag. 202. & pag. 204. num. III.

CAP. XLII. 3 Innocentio II. Pontifici ſuccedat Honorius III. qui in duabus Conſtitutionibus nuper editis in Bullario Congregationis Lateranenſium pag. 67. diſertis verbis teſtatur, corpus ſancti *Auguſtini* in æde ſancti Petri in Cœlo aureo, ibidem loci *requieſcere*, ubi pridem repertum eſt; non certe in *profundo & ſecretiſſimo loco*, ut ex fabulis, poſtmodum rudi Minerva congeſtis, temere jactatum eſt. Prima Honorii pontificis Conſtitutio data eſt Laterani
1221. idibus Juniis anno V. pontificatus, ſive A. D. 1221. ad Hugonem Epiſcopum Oſtienſem, in Langobardia Apoſtolicæ Sedis Legatum: cui Honorius præcipit, ut Canonicos regulares Mortarienſes ordinis ſancti Auguſtini ad monaſterium Ticinenſe ſancti Petri in Cœlo aureo, ob æs alienum, quo premebatur, a Benedictinis derelictum, transferat, ubi CORPUS *ipſius* (Auguſtini) *requieſcere* DINOSCITUR. Hæc ſunt verba Honorii Pontificis, ad publicæ famæ & rei veritatem, prolata. Jam diximus cap. XXXII. corpus *Auguſtini in æde ſancti Petri in Cœlo aureo ſervari, idem eſſe ac ſervari in Confeſſione ejuſdem ædis, ubi repertum eſt*; non certe ſervari in *profundo & ſecretiſſimo loco*, doloſe conficto, & ubinam gentium ſit, non indicato. Nemo non videt, verba illa Honoriana: *requieſcere* DINOSCITUR, rem publicam & notiſſimam indicare, ideoque uni *Confeſsioni* eadem aptari, in qua una *debito honore* Auguſtini corpus certo *requieſcere* ſemper creditum eſt. Ita qui ait, corpus ſancti Petri exſtare in Baſilica Vaticana, hoc exſtare omnino dicit in ejus *Confeſſione*. Sed inferius rem hanc ore & ſcripto Ticinenſium Epiſcoporum, ad fabulas ſubvertendas amplius patefactam videbimus.

4 Huic primæ Honorii Conſtitutioni conſona eſt alia,

alia, ab eo data Laterani Idibus Novembribus anno VI. pontificatus, ſive A. D. 1222. ad *Præpoſitum & fratres Mortarienſes* ejuſdem *ordinis ſancti Auguſtini*, ubi ait Pontifex, ſe Hugoni præcepiſſe, ut caput domus eorumdem Canonicorum, ad cœnobium Ticinenſe ſancti Petri in Cœlo aureo transferret, *ubi corpus ipſius Sancti* (Auguſtini) NOSCITUR *requieſcere*. Quomodo vero ibi *requieſcere* NOSCEBATUR, ſi ignorabatur ubinam requieſceret, latebatque *in profundo & ſecretiſſimo loco*? CAP. XLII. 1222.

5 Honorii ſucceſſor Gregorius IX. in literis ad Congregationis Mortarienſis Canonicos regulares, Peruſiæ datis II. Kalendas Novembres, pontificatus ſui anno II. ſive A.D. 1228. ait, ſe olim Legati Apoſtolici in Langobardia officio fungentem, Honorio ſuggeſſiſſe, ut eorum Congregationis caput transferendum curaret ad monaſterium ſancti Petri in Cœlo aureo, *ubi* CORPUS *beati Auguſtini* NOSCITUR *requieſcere*; primamque ex quatuor cauſſis, ob quas ea tranſlatio facienda eſſet, hanc tradit: *reverentia beati Auguſtini, cujus corpus* REQUIESCIT *ibidem*. Has Gregorii literas exſcribendas curavimus ex regeſtis Vaticanis cod. XIV. lib. II. epiſt. XL. pag. 84. Sed eas habes in novo Bullario Congregationis Lateranenſium pag. 74. & apud Pennottum lib. I. cap. LXII. pag. 207. unde vides, A. D. 1228. quo datæ ſunt, *corpus Auguſtini* in æde Ticinenſi beati Petri *honorifice* requieviſſe, ipſo ſummo Pontifice ex notitia publica hoc teſtante: NOSCITUR *requieſcere*. Errat autem Odoricus Raynaldus, qui has literas laudans A. D. 1228. §. 37. ait, in iis agi de *tranſlatione corporis Auguſtini* Ticino Mortariam, quum agatur de *tranſlatione capitis* Congregationis Canonicorum regularium Mortaria Ticinum. 1228.

CAP. XLII. 6 Gregorio IX. addamus Rodobaldum Epiſcopum Ticinenſem. Hic A. D. 1236. omnes Sanctorum Reliquias, in ſuis Eccleſiis Ticinenſibus adſervatas, recenſuit, & literis conſignavit, quæ MSS. in civitatis tabulario ſuperſunt. De corpore unius *Auguſtini* hæc habet: *in Eccleſia sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quæ dicitur monaſterium sancti Petri in Cœlo aureo, quod ædificavit Rex Liutprandus & dotavit, in* FUNDO *Confeſsionis* JACET *corpus sancti Auguſtini*. Ita eſt. Ad hanc Rodobaldi narrationem A. D. 1695. in ipſo *fundo Confeſsionis* corpus *Auguſtini jacere* compertum eſt, mauſoleo lateritio contectum inter aram & puteum. Ergo ex recenſione Ticinenſis epiſcopi *locum loci* diſtinctum, digitoque oſtenſum habemus, ſcilicet *Confeſsionis fundum*, ac *inferiorem* partem, ubi jam dicti ſummi pontifices Paſchalis II. Innocentius II. Honorius III. & Gregorius IX. *corpus Auguſtini requieſcere*, ut rem notiſſimam, antea tradiderant.

1236.

7 Rodobaldo ſubinde conſenſit Thomas Cantipratanus, qui in Belgio claruit A. D. 1255. quique in *Bono univerſali de Apibus*, a me alibi adducto, diſerte ait libro I. cap. XXI. in fine: *apud Papiam, Langobardiæ nobilem civitatem, in monaſterio beati Petri extra muros, glorioſiſsimi Auguſtini* CORPUS JACET; ubi ſcilicet monumenta jam allata illud *honorifice* jacere teſtata fuerant: quod de loco extra *Confeſsionem* dici nunquam poterat. Ex Cantipratano, in Belgio ſcribente, eruimus, locum depoſitionis beatiſſimi viri non in Italia ſolum, ſed ubique gentium exploratum: & nemini unquam futiliſſimam eam, ex licentia opinandi, reſque certiſſimas in dubium vocandi, ortam cavillationem de *loco loci*, in mentem veniſſe. Infra vero alium, atque

1255.

hunc

hunc recentiorem quidem Ticinenſem epiſcopum proferemus, *locum loci* indicantem, ubi corpus *Auguſtini* certo *requieſceret* tres tantum annos antequam ad vota Pennotti & collegarum catus ille Johannes Imperatorius ad fabulas ſuas ſarcinandas animum adpelleret. Quantæ auctoritatis ſint verba Epiſcoporum, ubi de ſuarum eccleſiarum Reliquiis loquuntur, tunc explicabimus. CAP. XLII.

8 Clemens V. in novo Bullario Congregationis Lateranenſium pag. 91. die VI. Auguſti A. D. 1305. viſitantibus eccleſiam Ticinenſem in Cœlo aureo indulgentiam quadraginta dierum conceſſit *ob devotionem beati Auguſtini, cujus corpus in eadem eccleſia requieſcere dicitur*, atque, ut res ſumme nota, ab omnibus prædicatur. In Chronico per ejuſdem ævi ſcriptorem exarato apud Pennottum in Hiſtoria lib. I. cap. LXIII. pag. 211. narratur, A. D. 1310. Eremitas Auguſtinianos locum obtinuiſſe prope eccleſiam, *ubi* CORPUS *quieſcit beatiſsimi patris Auguſtini*. Hoc poſtea ſemel atque iterum dixit Johannes XXII. in Bulla Avenione conſcripta, & a me cap. XVIII. memorata, qua Eremitas Auguſtinianos in ejuſdem baſilicæ famulatum induxit A. D. 1326. die XX. Decembris, pontificatus anno XI. Ait enim Eremitis hæc verba: *ubi* (in eccleſia ſancti Petri) *& præceptoris veſtri, patris, ducis, & capitis*, AUGUSTINI, *noveritis* RELIQUIAS *fore ſepultas*. Et paulo poſt: *ubi ſacrum* CORPUS *ejuſdem beati Auguſtini eſſe dicitur* SOLEMNITER *tumulatum*, in *Confeſsione* nimirum, ut hactenus fuſe a me oſtenſum eſt. Ita legitur in Bullario Auguſtiniano pag. 197. inque altero Congregationis Lateranenſium pag. 95. 96. Utrobique enim Johannis Pontificis literæ editæ ſunt: quas antea Pennottus etiam

1305.

1310.

1326.

ſuæ

CAP. XLII. ſuæ Hiſtoriæ inſeruerat pag. 208. Hic idem Hiſtoricus pag. 212. num. v. Ticinenſium magiſtratuum
1327. literas A. D. 1327. ad eundem Pontificem ſcriptas exhibet, in quibus ipſi ajunt, *sancti Auguſtini reverendiſsimum* CORPUS *ibidem* (in *domo* ſancti Petri in Cœlo aureo) *jacere*: quam *domum venerabilem* dicunt *ob devotionem magnam illius reverendiſsimi* CORPORIS *beatiſsimi Auguſtini*.

9 Ordo temporum exigit, ut literas Benedicti XII. ſubnectamus, datas Avenione die VII. Apri-
1335. lis, pontificatus anno I. ſive A. D. 1335. ubi Auguſtinianos his verbis alloquitur: *vos locum & Eccleſiam sancti Petri in Cœlo aureo Papiæ*, UBI CORPUS *glorioſi Confeſſoris sancti Auguſtini venerabiliter* REQUIESCIT, *& in qua nonnulli Fratres veſtri ſuum exhibent Domino famulatum, auctoritate Apoſtolica nuper fuiſtis aſſecuti*. Harum literarum autographum Ticini exſtat.

10 Bonifacii IX. Conſtitutionem, *Confeſsionis locum loci* aperte indicantem, *altare* nimirum *inferius* JUXTA *corpus ipſius beati Auguſtini*, recenſuimus
1394. cap. XXXI. cui conſonare vidimus aliam ejuſdem pontificis bullam ad Coſmatum Cardinalem, novo
1400. Bullario Lateranenſium inſertam. Jacobus Cardinalis Papienſis, qui obiit A. D. 1489. in epiſt. CCV. ad Paullum II. Pont. Max. teſtatur, in loco eodem CORPUS *sancti Auguſtini conditum eſſe*; inque epiſt. CCXLVII. ad quendam Antonium de Biſana hæc ſcribit: *ſi paratus es, ut certe credo, rectum judicium facere, & domum Dei, titulum Apoſtoli ſui Petri, &* SEPULCRUM *doctoris noſtri Auguſtini eripere de manu iniqui & contra legem agentis, æterno beneficio me devincies*.

11 Cardinalem Papienſem ordine annorum excipit

cipit Alexander VI. Pontifex, a quo in Bullario Au- CAP. XLII.
guſtiniano pag. 34. die XXII. Junii A. D. 1493. me- 1493.
moratur *domus ſancti Auguſtini Papienſis, ubi* CORPUS *ejuſdem Sancti* HONORIFICE *requieſcit*. Hoc dici nunquam potuiſſet de latibulo vili & incerto, deque *profundo* & *ſecretiſsimo loco*. Tot pontificiis diplomatibus jungamus Raphaelis Riarii diaconi Cardinalis ſancti Georgii & Commendatarii ejuſdem Eccleſiæ ſancti Petri literas diei VI. Aprilis A. D.
1496. a Pennotto editas in Hiſtoria libro III. cap. 1496.
XXXVI. pag. 713. ubi ſcribit, CORPUS *venerandi ſancti Auguſtini humatum exſiſtere* in eadem eccleſia.

12 His omnino reſpondet Auguſtinus Ticinenſis, Canonicus regularis Lateranenſis, in opere de Situ orbis Parte IV. lib. XV. cap. X. hæc ſcribens
A. D. 1500. *Canonicis* (regularibus in Cœlo aureo) 1500.
etiam pertinebat altaria ornare lampadibus, & locum in CONFESSIONE, UBI *ſanctiſsimi Patris Auguſtini* CORPUS JACET. Tum Julius II. in ſua Conſtitutione, qua ad Baſilicam ſancti Petri in Cœlo aureo pro Canonicis Mortarienſibus Lateranenſes
tranſtulit die XXVI. Novembris A. D. 1503. in ho- 1503.
rum novo Bullario pag. 203. hæc protulit: *licet in eadem baſilica* [ubi] CORPUS *ejuſdem ſancti Auguſtini* [beatæ] *recordationis exſiſtebat, prout* EXSISTIT, *fons religionis, ſummaque ejuſdem regularis obſervantia eſſe debeat; tamen*, &c. Sexennio ſerius in publicis tabulis, nomine prædicti Cardinalis Riarii die III.
Februarii A. D. 1509. conſcriptis apud Pennottum 1509.
libro III. cap. XXXVI. pag. 714. ita legitur: *poſt miram translationem ad hanc eccleſiam ſanctiſsimi* CORPORIS *ejuſdem ſancti Auguſtini, doctoris celeberrimi, totius eccleſiæ clariſsimi luminis* [quæ] APPELLATA *exſtitit* & APPELLATUR *eccleſia ſancti*

Au-

CAP. XLII. Augustini. Paullo vero poſt in iiſdem tabulis *Canonici regulares Lateranenſes* optare ſe dicunt, illuc obſervantiam introducere, *attento, quod ibi in ipſa eccleſia ſancti* Augustini, *ſic nuncupata*, adsit *illud ſanctiſsimum* corpus *beati Auguſtini Doctoris*. Hæ ſolemnes inter Cardinalem Riarium & Congregationem Lateranenſium contractus tabulæ duo manifeſte produnt. I. Baſilicam in Cœlo aureo de ſolo etiam nomine ſancti *Auguſtini*, ab ejus *corpore*, ibi in *Confeſsione* ſumma omnium fidelium pietate culto, appellatam fuiſſe: quod alias cap. xxvi. ex monacho ſancti Galli a me dictum eſt. II. Corpus, omni dubitatione ſubmota, tunc in Baſilica *adfuiſſe*, nempe in *loco honorifico*, qui tam pretioſo theſauro deberetur, quique alius certe non erat, quam ſola *Confeſſio*. Aliæ quoque tabulæ die

1509. x. Februarii A. D. 1509. per Jo. Auguſtinum Moraſcum publicum Ticinenſem notarium confectæ ſuperſunt, de concordia agentes cum Auguſtinianis inita in poſſeſſione ædis in Cœlo aureo a Canonicis Lateranenſibus capienda, ubi legimus hæc plane verba: *ſi contigerit, aliquam expenſam fieri in campanili, aut circa altare majus & ALTARE beati Auguſtini, aut* SEPULCRUM *ejus* INFERIUS, *aut circa alia loca communia in ipſa Eccleſia vel extra, quod hujuſmodi expenſæ ſint & eſſe debeant communes; & quod pertineat & pertinere debeat ad dictos Fratres* (Auguſtinianos) *quod parare debeant ipſa altaria, videlicet altare majus, & beati Auguſtini, prædicta*. Ergo ex his publicis tabulis luculenter patet, *ſepulcrum beati Auguſtini* tunc ſtetiſſe juxta *altare inferius* in Confeſſione; non ſane in *profundo & ſecretiſſimo loco*.

13. Jam tandem ad Conſtitutionem deveniamus. Leo-

Leonis X. Pont. Max. pro Canonicis Lateranenſibus Romæ editam die XXVIII. Februarii A. D. 1517. ob diſcordias in cœnobio ſancti Petri in Cœlo aureo ſedandas inter ipſos Canonicos & Cardinalem Riarium, loci Abbatem Commendatarium. Hæc Conſtitutio plurimi intereſt Canonicorum, ut propterea mirum ſit, cur eam a novo ſuo Bullario abeſſe permiſerint, poſtquam Pennottus illam edidiſſet in Hiſtoriæ ſuæ libro III. cap. XXXVI. pag. 716. Ego inde quædam verba, notatu maxime digna, exſcribam, quæ non ſolum *corpus Auguſtini* in Confeſſione depoſitum eſſe confirmant, ſed ex parte *monaſterii* Auguſtinianorum illud quieſcere; ac tandem *putei* ſeu *fontis* ibidem manantis locupletiſſimum, veterumque hiſtoricorum, de quibus memini cap. XIV. narrationi omnino conſentiens teſtimonium perhibent. Verba Leonis, diſerte ſcribentis, *corpus Auguſtini* exſtare in loco ex parte *monaſterii* Eremitarum, hæc ſunt: *Etſi de cunctis orbis eccleſiis & monaſteriis, prout ex injuncti nobis paſtoralis officii debito, ſolliciti, pro eorum ac religioſarum perſonarum, inibi ſub ſuavi religionis jugo Altiſſimo famulantium, proſpero & felici ſtatu ſalubriter dirigendo, cogitare teneamur; ad* MONASTERIUM *tamen ſancti Petri in Cœlo aureo Papienſis*, ORDINIS *ſancti Auguſtini*, IN QUO CORPUS *ejuſdem ſancti, quem magnus Dominus & laudabilis valde de tenebris gentium, lumen eccleſiæ ſuæ, vocavit, & qui literarum divinarum ſcientia, & admirandæ vitæ ſanctimonia, pro eccleſiaſtica dimicans fide, diabolicas hæreticorum fraudes diſperſit, ac fundamenta jecit, quibus catholicæ eccleſiæ ædificia, veluti ſolidiſſimis columnis fulcita noſcuntur*, DEPOSITUM EXSISTIT, *ubique* (in Confeſſione nimirum ibidem

CAP. XLII.

1517.

CAP. XLII. juxta *puteum*, ubi tantus theſaurus depoſitus eſt) *ad ſanctitatis ſuæ teſtimonium* FONS INDEFICIENTIS AQUÆ, *qui uſque in hodiernum diem effluens, oſtendit inexhauribilem ſapientiæ ejus fontem, quo in exuſtione & ardenti fœtore peccatorum, irrigavit ſitientes, conſiderationis noſtræ intuitum affectuoſiori ſtudio dirigere nos convenit*. Ita Leo Pontifex in literis, nulla ſui parte ad Eremitas *Auguſtinianos* pertinentibus, ſed ad ſolos *Canonicos Lateranenſes* & Cardinalem Riarium. Horum enim concordiam Leo ſua auctoritate confirmat. Ex pontificio contextu, iiſdem Canonicis flagitantibus promulgato, aperte videmus, locum exploratiſſimum deſignari, in quo *corpus beati Auguſtini depoſitum* fuerat, videlicet in *Confeſſionis* parte ad *monaſterium* Auguſtinianorum pertinente, ac juxta *puteum* ſeu fontem *indeficientis aquæ*, ubi ſemper quievit; ubi A. D. 1695. quieſcere compertum eſt, & ubi adhuc quieſcit. Auguſtinus quoque Ticinenſis, Canonicus regularis Lateranenſis, licet alias multo limo turbatus, de hoc tamen *fonte*, juxta corpus *Auguſtini* manante, agens in Vita Auguſtini, cum aliis Brixiæ edita per Angelum Britannicum A. D. 1511. in 4.° hæc habet titulo x. cap. VI. FONS *autem indeficientis aquæ in ipſo ejuſdem Auguſtini* SACELLO *exortus eſt*, UBI CORPUS *ejus fuerat reconditum*. Hinc illorum impudentia retunditur, qui, antiquis teſtibus repugnantibus, & invito Leone Pontifice, *puteum* ipſum irrigando viridario, extra ædem poſito, everrendoque ac purgando Baſilicæ pavimento, conſtructum dicere non ſunt veriti, ut locum tam ſanctum eo dicterio labefactarent, hoc pacto ipſis majoribus ſuis obtrectantes, quorum commodo & precibus (non certe Auguſtinianorum) Conſti-

ſtitutio Leonina in lucem prodiit. In eodem *ſepulcro* ſeu *mauſoleo juxta altare inferius*, ex publica notitia corpus *Auguſtinianum* adhuc jacuiſſe die XXV. Maii A. D. 1575. nos docet decretum Capituli generalis Eremitarum, eo anno Romæ confectum, in quo hæc ſanciuntur: *prima omnium provincia Luſitana bis mille aureos nummos expoſuit ad* XII. LAMPADES *fovendas* CORAM ALTARI INFERIORIS *ſacelli*, UBI *ſacratiſſima magni Parentis noſtri* OSSA CONDITA *ſunt*. Quid apertius dici poteſt ad evertendum ſummum illud mendacium, poſtea confictum, de *profundo & ſecretiſſimo loco*? Hæ XII. *lampades* in die feſto *Auguſtini* ibidem ante ejus mauſoleum quotannis adhuc ardere cernuntur.

CAP. XLII.

1575.

14 Præter tot literas Apoſtolicas, hactenus recenſitas, aliæ exſtant Gregorii XIII. Pont. Max. Hippolyto Rubeo Epiſcopo Ticinenſi, dein S. R. E. Cardinali, ea, quæ hic ſubſequuntur, præcipientes die XIII. Februarii A. D. 1580. *mandamus, ut* STATIM, *viſis præſentibus*, NOMINE NOSTRO *prohibeas, atque interdicas ſub* EXCOMMUNICATIONIS *latæ ſententiæ & privationis quarumcunque dignitatum, ac etiam* PECUNIARIIS, *arbitrio tuo declarandis & applicandis pœnis*, CANONICIS REGULARIBUS, *ac Fratribus ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini monaſterii ſancti Petri in Cœlo aureo, ac ejuſdem ſancti Auguſtini iſtius civitatis Papienſis & quibuſvis aliis perſonis, ne* ULLO PRÆTEXTU, *aut quovis quæſito colore audeant vel præſumant quidquam in eorum eccleſia aut alibi innovare, quærere*, FODERE, *ſeu rem aliquam movere circa* INQUIRENDUM CORPUS *ipſius ſancti Auguſtini*. Ab Epiſcopo Rubeo Canonicis regularibus æque ac Eremitis nomine pontificis iſtud *anathema* indictum fuit die XXII.

1580.

CAP. XLII. ejuſdem menſis, pœna ſuperaddita *mille aureorum*. Gregorium ut has literas ſcriberet, Canonicorum regularium minæ de excavando illo ſuo *profundo* & *ſecretiſſimo loco*, tunc in Eremitas jactari cœptæ, impulerunt. Licet enim pœnæ utriſque denunciatæ fuerint, Eremitas tamen nequaquam reſpiciunt; quippe qui de *Auguſtini* loculo ſepulcrali, longe certiſſimo, atque notiſſimo *inter puteum & altare*, inque ea Confeſſionis parte, quæ ad eos pertinebat, omnino exſiſtente, nullam prorſus quæſtionem unquam excitaviſſent. Itaque Ticinenſis Epiſcopus, cui vere conſtabat de *loco loci*, in quo corpus Hipponenſis Epiſcopi ſemper jacuerat, ac tunc jacebat, ex officio ſuo docuit ſummum Pontificem de offendiculo ingruente. Quare literis Apoſtolicis in offendiculi auctores acceptis, ſtatim utrique parti æque anathema indixit, deque ſuo pœnam *mille aureorum*, pontificium imperium detrectanti, merito ſuperaddidit. Quoſnam vero literæ ipſæ cum *anathematis* pœna & pecuniaria animadverſione reſpexerint, unusquiſque facile adſequitur; eos unos nimirum, qui paullo ante, hoc eſt A. D. 1579. ex diabolo, Sanctorum hoſte & mendaciorum parente, ſciſcitari auſi ſunt, ubinam eſſet Auguſtini *corpus*? Diabolum vero per os feminæ ab ſe obſeſſæ, reſpondiſſe ferunt, *corpus* Auguſtini jacere ſub *lapide ſignato*; non vero in *Confeſſione*. Hoc narrant ex ſui Johannis Imperatorii *Codice rubeo*. Itaque literæ Gregorianæ eos unos reſpiciunt, qui *diabolum* hac de re antea conſuluerant, quique poſtea pontificio imperio rebelles eaſdem literas inſuper habuerunt. In quo ſane crimine Eremitæ Auguſtiniani deprehenſi non ſunt; ſed *Glycerius Landrianus* Abbas & Præpoſitus fa-

familiæ Canonicorum regularium ſancti Petri in Cœlo aureo, ut poſtea ex eorumdem ſcriptis patebit. Ceterum ſanctiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIII. die XXIII. Januarii hujus anni 1728. deceſſorem ſuum Gregorium XIII. imitatus, literis quoque ſuis Ticinenſi Epiſcopo nuperrime injunxit, ut de hoc uno *Auguſtini* pignore, A. D. 1695. reperto, & ſolemni cæremonia recognito, non de ullo alio, quod in *profundo & ſecretiſſimo loco abſcondi* callide jactaretur, ſententiam ferret, anathematis pœna iis indicta, qui judicium iſtud epiſcopale quacunque arte aut medio, clam ſeu palam impedire tentarent: quod nulla ſane ratio de Eremitis Auguſtinianis ſuſpicari permittit. In ſumma nos quoque de hoc ſolo *Auguſtiniano* corpore, non quidem de alio plane confícto, & *ligonis* ope effodiendo jam diſputamus; ideoque judicium de reperto, non de reperiendo inſtituendum eſſe contendimus. Interim ulterius procedamus.

CAP. XLII.

15 Xyſtus V. die xx. Decembris A.D. 1585. vulgavit Conſtitutionem ſuam xv. quæ incipit: *Romanus Pontifex*, ubi §. 3. decernit, ut omnes epiſcopi ſtatutis temporibus beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina viſitent, rationem ſummo Pontifici reddituri de toto ſuo paſtorali officio, *deque rebus* OMNIBUS, *ad ipſarum*, *quibus præſunt*, *eccleſiarum ſtatum* QUOVIS *modo pertinentibus*. Ad hujus Conſtitutionis ſanctionem & regulam Guillelmus Baſtonus Ticinenſis Epiſcopus A. D. 1597. ſuam viſitationem ſacrorum liminum inſtituens, accuratam epiſcopatus, eccleſiæque ſuæ relationem paravit, quam Congregationi S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum exhibuit. Hujus relationis autographum ſervat ejuſdem Congregationis tabu- 1597.

larium

 larium in tomo Relationum, qui foris ſignatur litera P. folio 274. verſo: unde nos, adprobante, dieque XXIII. menſis Auguſti proxime elapſi anni 1727. per ſuam ſubſcriptionem confirmante Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Proſpero Archiepiſcopo Lambertino, Congregationis a ſecretis, Anconæ Epiſcopo, & Fidei promotore, ſubſequentem particulam huc facientem, exſcribendam curavimus, quæ *locum loci*, ubi tunc *Auguſtiniani* corporis loculus ſepulcralis haberetur, certo deſignat, atque ob oculos ponit formula, rebus & verbis, hactenus enarratis, fideliter in omnibus reſpondente, reſque ipſas (ſi adhuc fortaſſe opus eſſet) mirifice declarante. Guillelmi Epiſcopi verba hæc ſunt: *ex* PUTEO PROPE SEPULCRUM *ſancti* AUGUSTINI *Doctoris*, *cujus* CORPUS *ibidem* EXSISTIT, *aquam hauſtam bibentes devote*, *ad febres exſpellendas* PRODESSE *plurimum*, *exiſtimant*; *quum ipſum* (Auguſtinum) *inter* PRÆCIPUOS PATRONOS *ipſius civitatis venerentur*. Urbani VIII. Conſtitutio idipſum paullo poſt confirmabit.

XLIII.
Veritas corporis ſancti Auguſtini contra recentes fabulas aliunde patefacta.

QUis jam amplius contentionis & jurgii cauſſam ingerat *de loco loci*? Quis *profundum* & *ſecretiſſimum locum* extra Confeſſionem obtrudat, in quo celeberrimæ *Auguſtini* exuviæ, quas nemo extra eam veneratus eſt unquam, jam deliteſcant? Nemo profecto ſanæ mentis compos, ſinceraque pietate erga Deum ac Sanctos ejus optime inſtructus. Ex his rurſus veriſſimum eſſe cognoſcimus quod alibi diximus, corpus nimirum beati *Auguſtini exſtare in Baſilica ſancti Petri in Cælo aureo*, idem eſſe atque ibidem *exſtare in loco honorifico*, *tantoque Patri debito*: qui locus alius eſſe non poteſt, quam ſola *Confeſſio*, pro illo uno adſervan-

do

do conſtructa, in qua ſemper illud ſervatum, ſemperque ſervari creditum eſt. Hæc docent quo loco habendæ ſint feſtivæ illæ & toties auditæ narratiunculæ, ex *Codice rubeo* Johannis Imperatorii uſurpatæ: cui majorem fidem quædam *folia abſciſſa* conciliant. Inde quoque facillimum erit judicium ferre de aliis quotquot ſunt aut fuerunt (horum vero nominibus parcere malumus) qui ab *una loci invidia* eo ſe trahi paſſi ſunt, ut ingenio, atque ocio abutentes, de corpore *Auguſtini*, in ea *Confeſsionis* parte, quæ ad *Auguſtinianos* pertinet, tandem reperto, tantas lites palam excitare non dubitarint; inter ſe pariter committentes Jacobum Guallam, Bernardum Saccum, Breventanum, Imperatorium, Belliſomium, Pennottum, alioſque hujus commatis novitios ſcriptores, quaſi eorum concordia vel diſcordia magni intereſſet. Immo ad *ligonem* etiam, ideſt ad *profundum & ſecretiſſimum locum* ſuum excavandum, frigido & plane irreligioſo ludibrio eos amandare non ſunt veriti, qui verum *Auguſtini* corpus repertum eſſe dicerent. Id certe legimus in quodam libello, magna jactatione & incredibili confidentia digeſto, ſpiſſiſque paralogiſmis cumulato: cui ſatis erit a nobis opponi ſummi Annalium eccleſiaſticorum parentis laudatiſſimum axioma ex num. XII. ante annum I. *quod a recentiori auctore de rebus adeo antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur*, CONTEMNITUR. Quo animi obſequio & veneratione excipienda ſit auctoritas Epiſcoporum, in ſuarum eccleſiarum Reliquiis adprobandis & agnoſcendis, ex antiqua eccleſiæ diſciplina docuit Concilium Tridentinum, a me ſupra laudatum cap. XXVII. dum epiſcopale judicium de iis expectandum unice monuit.

Cap. XLIII. nuit. Hac de re vide Proſperum Fagnanum, celeberrimum juris canonici interpretem, in Titulum decretalium de *Reliquiis & veneratione Sanctorum* C. *cum ex eo*, num. 6. Huc faciunt quatuor regulæ, quas R. P. Honorius a Sancta Maria Carmelita in Meditationibus ſuis nuper Lugduni vulgatis de Artis criticæ regulis atque uſu, propoſuit in Diſſertatione vi. tomi iiI. pag. 382. quæ eſt de *Reliquiis Sanctorum*. Hæ vero ſunt regulæ illæ

I. *Diptycha eccleſiaſtica, & tituli, ipſis Reliquiarum thecis affixi.*
II. *Traditio conſtans, & virorum fide dignorum teſtimonia.*
III. *Miracula.*
IV. *Epiſcoporum adprobatio.*

Hæ regulæ corpori beati Auguſtini *vindicando* (ut phraſi utar ſancti Optati libro i. cap. xvi. de Schiſmate Donatiſtarum) plane omnes aptantur. De judicio epiſcopali jam dixi. Martyrologiorum, totque aliæ tabulæ, quas adduxi, pro *diptychis* ſunt. *Titulus* pariter adeſt, qui, ſi laminæ inſcriptus magni fieret, cur marmori inſcriptus æque magni fieri non debeat, prorſus ignoro. Nunquid hujuſmodi *titulorum* pretium ex *laminis* putandus eſt? Atqui alibi, & Romæ præſertim, *titulus* marmori, & calci etiam, inſcriptus ſeu pictus, maximi fit, ac demonſtrandæ Reliquiarum ſanctitati ſatis eſt. Veras eſſe comprobat *Auguſtini* exuvias *traditio vetus* & *conſtans*: quam magnus, Ticinoque proximus antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ inſtaurator, Carolus Borromæus, in comprobandis Reliquiis Sanctorum requirebat, ut olim docuimus in Diſſertatione de Corona ferrea cap. xi. num. v. Nec aſſiduam enim

enim *omnium*, nec *fere omnium* ſæculorum in comprobandis *Reliquiis* Sanctorum, *traditio* neceſſaria eſt; immo indebite requiritur, judice Mabillonio in Epiſtola de diſcretione Reliquiarum, ad Bleſenſem epiſcopum ſcripta, inter ejus Opera poſtuma tomo II. pag.364. Nos tamen *veterem*, *aſſiduam*, & *conſtantem* omnium ſæculorum *traditionem* ſcriptam adduximus, ex proletariis auctoribus nequaquam erutam, ſed ex veneranda Eccleſiæ diſciplina, ex ſummorum Pontificum diplomatibus, ex Ticinenſium præſulum & aliorum publicis tabulis, multiſque eccleſiaſticis ſcriptoribus, una voce ampliſſimum hac in re teſtimonium proferentibus. Jam tandem recentius ævum pertingentibus nobis occurrit ſummus Pontifex Urbanus VIII. qui deceſſorum ſuorum piæ memoriæ Romanorum Pontificum veſtigia ſequutus in Conſtitutione ab ſe Romæ vulgata die x. Octobris A. D. 1635. qua rurſus alterna Eremitarum & Canonicorum regularium in æde sancti Petri in Cœlo aureo præſtanda officia ſtabiliuntur, de corpore sancti *Auguſtini*, ibidem ſervato, hæc ſcripſit apud Joſephum Sabatinum, qui eandem Conſtitutionem edidit Viennæ Auguſtæ A. D. 1650. in Vindiciis monachatus sancti Auguſtini pag. 295. *Eccleſia sancti Petri, in Cœlo aureo nuncupata, Papienſis, in qua ſacræ* CORPORIS *sancti Auguſtini, Eccleſiæ doctoris eximii, Reliquiæ* VENERANTUR. Atqui nemo unus certe has *Reliquias* extra *Confeſſionem* veneratus eſt unquam. Immo contra uterque ordo, Eremitarum & Canonicorum, ſuis quiſque menſibus poſt divina officia in ſuperiori odeo perſoluta, in ipſam *Confeſſionem* quotidie ad antiphonas & preces in laudem sancti *Auguſtini*, tanquam ibidem in corpore quieſcentis, una voce fundendas, deſcendere

CAP. XLIII.

O con-

CAP. XLIII. conſuevit. Quare nollem prodiiſſet hiſtoriola, ſæpe repetita, quanvis æterno potius ſilentio damnanda, de *Glycerio Landriano*, Canonicis regularibus Præpoſito, qui Præſulum Ticinenſium, atque etiam ſummorum Pontificum auctoritate contemta, A. D. 1627. ut ex illius ſcheda didicimus, non A. D. 1632. ut alii tradiderunt, per Baſilicæ ſancti Petri in Cœlo aureo ſubterraneos meatus aliud corpus beati *Auguſtini* ductu famoſi *Codicis rubei* furtive ſcrutari auſus eſt *ſub lapide ſignato*, quem *diabolus*, nullo fremitu, nullo terrore perculſus (quod nequaquam tacuiſſent) per os mulieris energumenæ falſo indicaverat. Reperto autem, ut collegæ ajunt, in arca lignea quodam cadavere, Chriſtiani, ut puto, at non certe Sancti, nullum enim ſanctitatis indicium præferebat, hoc idem clam effoſſum, nullaque epiſcopali auctoritate recognitum, ſuopte arbitrio contra omnem Eccleſiæ diſciplinam & pontificios canones, paſſim notos, inſcriptionibus etiam de eo confictis, pro *Auguſtiniano* venditare non formidarunt, calvariam ejus largiti Sanctimonialibus parthenonis, quem *novum* appellant. Sed heus, viri optimi, qui hæc, invitis ſuperis, foras miſiſtis, iſtæ veſtræ inſcriptiones aboleantur, calvaria atque oſſa quæcunque inter non ſancta mortuorum ſpolia abjiciantur! His enim cum vero *Auguſtini* corpore nihil omnino eſt. De gratiis ac beneficiis, quæ, deprecatore *Auguſtino* quo tempore ejus veræ exuviæ detectæ ſunt, Deus ob varios & immedicabiles morbos opem ſuam implorantibus contulit, non pauca dici poſſent ex Actis, epiſcopali ſanctione conſcriptis, ſi noſtrum eſſet ex gratiis & miraculis, per fidem in Deum factis, trahere probationem ſufficientem Reliquiarum: qua de re alii ſcripſerunt.

Dum

Dum tamen de illarum veritate agitur, conſtans majorum traditio, concors populorum in publicum earum cultum aſſenſus, & morborum immedicabilium depulſio ſyngrapharum omnium & tabularum fidem ſuperant, arbitro Jo. Jacobo Chiffletio in Criſi hiſtorica de Linteis ſepulcralibus Chriſti Servatoris cap. IX.

CAP. XLIV.

XLIV. Complures Theologi pro veritate Auguſtiniani corporis ſententiam tulerunt.

NE autem ſummo & undequaque abſoluto plurium annorum examini *Auguſtiniani* corporis, ad venerandas majorum regulas facto, quidpiam deſit, huic Diſquiſitioni finem imponam, præſtantium Galliæ Ciſalpinæ Theologorum ſeriem ſubnectens, qui ſuffragiis ſuis, jamdudum in publicam lucem editis, pro eodem *Auguſtini* pignore palmariam ſententiam tulerunt. Hi complurium ordinum ſunt ſpectatiſſimi viri, ex quibus alii ad epiſcopale faſtigium, alii ad inſignium eccleſiarum, gymnaſiorum, & cœnobiorum cathedras, alii ad primarias apud ſuos præfecturas pietatis & doctrinæ merito evecti ſunt. Illuſtriori certe nominum cenſu noſtra hæc Diſquiſitio claudi non poterat.

Theologi variorum ordinum, qui pro Auguſtini exuviis, ab ſe in longum examen vocatis, ſuffragium & ſententiam ſuam literis tradiderunt.

1 *ALbertus Caſtellanus* ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ magiſter.

2 *Angelus Maria Maſſa* ordinis minorum Conventualium, ſacræ Theologiæ doctor.

CAP. XLIV.

3 *Angelus Maria a Paravicino* ordinis minorum Capuccinorum, ſacræ Theologiæ profeſſor.

4 *Anſelmus Pajola* monachus ordinis ſancti Benedicti, ſacræ Theologiæ profeſſor.

5 *Bernardus Serpontius* ordinis Minimorum, ſacræ Theologiæ profeſſor.

6 *Carolus Carnaviolus* Carmelita, ſacræ Theologiæ magiſter.

7 *Carolus Franciſcus Ceva* Dertonenſis Epiſcopus.

8 *Carolus Franciſcus Ferrarius* tertii ordinis ſancti Franciſci, ſacræ Theologiæ profeſſor.

9 *Carolus Michael de Conſtantinis* in collegio inſignis Eccleſiæ ſancti Nazarii Mediolanenſis Canonicus Theologus.

10 *Deſiderius Ferrerius* monachus Congregationis montis Oliveti, ſacræ Theologiæ profeſſor.

11 *Euſtachius a ſancto Ubaldo* Auguſtinianus Excalceatus, ſacræ Theologiæ profeſſor.

12 *Euthymius a ſancto Hieronymo*, Carmelita Excalceatus, ſacræ Theologiæ profeſſor.

13 *Ferdinandus Carpanus* monachus Congregationis ſancti Hieronymi, ſacræ Theologiæ doctor.

14 *Gabriel Sardius* Eccleſiæ Alexandrinæ Canonicus Theologus.

15 *Georgius Cattaneus* Canonicus ordinarius in metropolitana Eccleſia Mediolanenſi, ſacræ Theologiæ doctor.

16 *Jacobus Romillius* ordinis minorum Conventualium, ſacræ Theologiæ doctor.

17 *Johannes Baptiſta Fondra* Clericus regularis, ſacræ Theologiæ profeſſor.

18 *Jo. Caſpar Beretta* monachus ordinis ſancti Benedicti, ſacræ Theologiæ profeſſor. *Hic ſeorſum ſcripſit pro veritate corporis ſancti Auguſtini.*

19 *Joſephus Maria Mazzetus* ordinis minorum Obſervantium, ſacræ Theologiæ profeſſor.

20 *Julius Balbus* presbyter Societatis Jeſu, ſacræ Theologiæ profeſſor.

21 Ju-

21 *Julius Ludovicus Gambaloita* tertii ordinis ſancti Franciſci, ſacræ Theologiæ profeſſor. CAP. XLV.

22 *Michael Collius* Clericus regularis Congregationis ſancti Paulli, ſacræ Theologiæ profeſſor. *Hic multa ſcripſit pro veritate corporis ſancti Auguſtini*.

23 *Nicolaus Camillus Caſtellius* Clericus regularis Congregationis Somaſchæ, ſacræ Theologiæ profeſſor.

24 *Nicolaus Rubinus* Canonicus ordinarius & Theologus Eccleſiæ metropolitanæ Mediolanenſis.

25 *Spiritus Franciſcus Roſignolius* presbyter Societatis Jeſu, ſacræ Theologiæ profeſſor.

Hi ſunt, qui ad Concilii Tridentini definitiones ſacrum *Auguſtini* theſaurum ſuis calculis adprobaverunt. Si vero tot, ac tanta, quæ hoc ſcripto comprehendi, ei vindicando nondum ſufficiunt, quid unquam ſufficere poſſit, ultro fateor me penitus ignorare. Adſcribam hoc loco Lactantii pronunciatum ex capite II. libri V. divinarum Inſtitutionum, qui eſt de Juſtitia: *eadem cæcitas eſt & vero falſitatis, & mendacio veritatis nomen imponere*.

XLV. Ticinum cur Papia dictum.

QUandoquidem civitatem, quam *Papiam* dicunt, paſſim *Ticinum* dixi, a Ticinenſibus gratiam initurum me ſpero, ſi hujus etiam nominis originem explicavero, a Philippo Cluverio ignoratam in Italia antiqua libro I. cap. XXIII. pag. 236. Veteres uno ore *Ticinum* dixerunt. Apud Franciſcum Mediobarbum in Occone aucto pag. 568. exſtat Totilæ, alias Baduilæ, Regis Gothorum nummus æreus cum hac epigraphe: FELIX TICINUS. Totilæ mors incidit in A. D. 552. ex Pagio ibidem num. XI. Poſtmodum Geographus Langobardus, vulgo

vulgo *Ravennas*, quem alii *Gothum* appellant, libro IV. cap.XXX. & Paulus Diaconus lib.II. cap.XV. binominem civitatem fecerunt: *Papia, quæ & Ticinus*, alias *Ticinum*. Fuit Colonia ex Tribu *Papia*, a *Papiria* diverſa. In epigrammate militari apud Carolum Cæſarem Malvaſiam in Marmoribus Felſineis ſect. V. cap. IX. pag. 253. quod edidit etiam Raphael Fabrettus cap. III. Inſcriptionum pag. 213. lin. 2. legitur C. NOVELLIVS. C. F. PAP. VERINVS TICIN. Profero alium lapidem, Ticini ſuperſtitem in æde sancti Johannis in Burgo ad aram principem ex parte evangelii, quem Gruterus pag. MXCIII. 7. mendoſum vulgavit, nec bene diſpoſitum.

T. DIDIO. M. F. PAP
PRISCO
III. VIRO. CAPITALI. SEVIR
TVRM. V. EQVIT. ROMAN
TRIB. MILIT. LEG. III. AVG
Q. PRO. PR. PROVINCIAE
GALLIAE. NARBONENS
TRIB. PLEBIS. PRAETORI
MVNICIPI. PATRONO
T. DIDIVS. HERMIAS
INDVLGENTISSIMO. PATRON

In utroque ſaxo nomen Tribus certiſſimum indicium eſt Coloniæ, in cujus deductione civitas ſuis legibus & ſacris uti permiſſa, *municipium* remanſit, ut aliis etiam civitatibus contigiſſe, paucis docet magnum in his literis nomen, Henricus Cardinalis No-

Noriſius in Cenotaphiis Piſanis Diſſertatione I. cap. I. pag. 15. Ingruente vero barbarie Papia, nomen Tribus, pro altero nomine civitatis acceptum eſt, mediaque ſyllaba producta, ita hoc nomen obtinuit, ut primævum tantum non obruerit. Cap. XLV.

FINIS

INDEX RERUM

Numeri Romani *ad præfationem*, vulgares *ad Diſquiſitionem referuntur*.

A

ADo ſanctus, Lugdunenſis Archiepiſcopus agit de corpore S. Auguſtini 5. 13. 23.
Africani epiſcopi a Vandalis Arianis exagitati 1. 2. 3. 4. primates, *Senes* dicti 4. a Traſamundo vexati 5. in Sardiniam non ex una Byzacena provincia, ſed ex tota Africa relegati 5. 6.
Albericus monachus Ciſtercienſis 9. 11. 15.
Alcuinus 17.
Alexander VI. ait corpus ſancti Auguſtini honorifice tumulatum 95.
Alexius ſanctus, ejus reliquiæ 75.
Alfordus Michael 16. 83. 84.
Altiſſiodorenſe Chronicon Strozianum. *Vide* Stroza.
Altiſſiodorenſis alterius Chronici auctor *Hugo*, non Robertus 15.
Amandi ſancti corpus quomodo tumulatum 60.
Ambroſius ſanctus quid egerit in inventione ſanctorum Gervaſii & Protaſii xv. 8.
Ampullæ. *Vide* Phialæ. *V.* Oleum.
Andecenſes reliquiæ 81.
Anglicanum monaſticon 83. 88.
Antonius ſanctus Abbas, honorifice conditus 27.
Aquilejæ reliquiæ 54. 81.
Aquinas Thomas ſanctus, juxta altare ſepultus 54. 61.
Arca argentea cum reliquiis Auguſtini in marmoreo ſarcophago 42. 43.
Aripertus Rex Langobardorum 18.
Atrium, ubi ſepeliebantur Chriſtiani 50.
Audoenus ſanctus in theca aurea repoſitus 53. ejus ſanguis 66.
Auguſtinus Hipponenſis epiſcopus de ſanctitate & doctrina laudatus 1. 25. obit 2. ejus corpus ab epiſcopis Numidiæ in Sardiniam transfertur 9. ex Sardinia a Liutprando 10. 11. 12. 13. 14. 15. Genuam, Dertonem, & Ticinum 20. 21. 24. ejus feſtum omnibus martyrologiis inſertum 23. 24. 25. fabulæ de ejus conditorio ſparſæ 30. 32. 33. in diptycho Boethii pictus 41. tumulatus in Confeſſione inter puteum & altare 62. 63. corpus ejus ſemper in Confeſſione ſervatum 59. exiguæ reliquiæ ubi ſunt 46. 120. ejus nomen ſarcophago Ticinenſi inſcriptum 40. oſſium recenſio 44. ejus theca argentea 51. 52. 53. ejus reliquiæ ubi & quando Ticini repertæ 37. lampas ante eas perpetuo ardens 37. ejus ſanguis Caſinum non miſſus, ſed aliæ reliquiæ 73. 74. 75. *Vide*. Eremitæ. *V.* Puteus.
Avitus Viennenſis Epiſcopus 5.

B

BAluzius Stephanus 14. 50.
Baronius Cæſar 16. 23. 62. 73. 77. 78. 83. 84. 103.
Barthius Caſpar 68.

Baſilica Petri Carolus a 18.
Baſilius & Florentius Canonici regulares conficti 23.
Baſtonus Guillelmus Ticinenſis Epiſcopus docet Cardinales interpretes Concilii Tridentini de corpore ſancti Auguſtini ibidem exſtante, ubi repertum eſt 102.
Beda teſtis translationis ſancti Auguſtini ex Sardinia Ticinum 10. 11. 12. 13. 23.
Bellellus Fulgentius Auguſtinianorum Prior generalis XVIII.
Bellinus Martyrologus 23.
Bellovacenſis Vincentius 21.
Benedictini monachi olim in baſilica ſancti Petri in Cœlo aureo 36.
Benedictus VIII. Pont. Max. Ticini concilium celebrat & brachium ſancti Auguſtini Egelnotho Cantuarienſi concedit 85.
Benedictus XII. ait, corpus ſancti Auguſtini venerabiliter tumulatum 94.
Benedictus XIII. jubet controverſiam dirimi de corpore ſancti Auguſtini IV. erga eum devotiſſimus VII. plures Reliquiarum elevationes facit, *ibidem*. Ejus Breve ad Epiſcopum Ticinenſem IX. ſanctioris diſciplinæ ſcientia 57. jubet Romam adferri acta inventionis ſancti Auguſtini 65. ejus Breve, ſimile alteri Gregorii XIII. 101.
Bocquillotius Lazarus Andreas 36. 77. 81.
Boldettus M. Antonius cœmeteriorum cuſtos 40.
Bollandiani ſocii 7. 18. 23. 46. 71. 76. 81.
Bonæ Spei Abbas Philippus Harvengius Eleemoſynarius Præmonſtratenſis 9. 11. 12. 19. 20. 24. 26. 29.
Bonarotius Philippus Senator Florentinus XIII. XVIII.
Bonifacius IX. tradit, corpus ſancti Auguſtini juxta altare tumulatum 52. 94.
Borromæus. *V.* Carolus.
Boſius Antonius 82.
Boſius Jacobus 39.
Brandeum. *V.* Velum.
Brovverus Chriſtophorus 67. 87.
Brunſvicenſium Ducum Reliquiæ Sanctorum 54.
Bulengerus Julius Cæſar 29.
Byzacena Africæ provincia, unde Epiſcopi in Sardiniam relegati 4. 5. 6.

C

Cajetanus Thomas Cardinalis extra eccleſiam ſepultus 50.
Campenſis Petrus 33.
Campius Petrus Maria 46.
Camuzatus Nicolaus 15.
Cangius Carolus 22. 29. 57. 85.
Caniſius Henricus 5. 7.
Canonici regulares ante ſæculum XIII. non fuerunt in Baſilica ſancti Petri in Cœlo aureo 33. 34. a Gregorio XIII. vetantur effodere & inquirere corpus ſancti Auguſtini 99. *Vide* Lateranenſes. *V.* Mortarienſis.
Cantipratanus Thomas 26. 36. memorat locum, ubi jacet corpus ſancti Auguſtini 92.
Canutus Rex Angliæ non obtinuit brachium Auguſtini 83. 84.
Canus Melchior XVI.
Capſæ tres corporis ſancti Auguſtini, marmorea, argentea, plumbea 42. 43. 44.
Carolus Borromæus ſanctus XV. 66. 104.
Carolus Calvus vivens, *Magnus* appellatus, non vero defunctus 27.
Carolus Magnus poſt mortem ita dictus 16. 17. 19.
Caſtellanus Claudius 16. 32.
Catenæ Apoſtolorum 79.
Cæcilia ſancta, virgo & martyr, in Confeſſione juxta altare ſepulta 62.

Cæ-

Cæremoniale epiſcoporum 29.
Cellæ, ideſt monaſteria 9.
Cerda Ludovicus 29.
Chiffletius Johannes Jacobus 107.
Chiffletius Petrus Franciſcus 3.
Chriſtiani ſepulti extra eccleſias 49. 50.
Claves Confeſſionis sancti Petri 78. 79.
Clemens V. memorat corpus sancti Auguſtini 93.
Codex rubeus Johannis Imperatorii fabulis refertus 30. 33. 38.
Cœleſtinus V. in capſa argentea repoſitus 54.
Cœli aurei baſilica. *V.* Eccleſia.
Cointius Carolus 9.
Confeſſio baſilicæ Ticinenſis pro ſolo corpore sancti Auguſtini ædificata 46. 47. in ea nemo alius, & nonniſi sanctus, tumulatus 48. Cantuarienſis inſtar Vaticanæ & Ticinenſis 30. 31. sancti Pauli in Via Oſtienſi 31. in Confeſſione, martyrum corpora 27. 28. 29. 30. 31. 32. aliis vocabulis dicta 29. Confeſſionis nomen quanti faciendum 31. 32.
Conſtantinus Magnus extra eccleſiam ſepultus 50.
Contractus Hermannus 15.
Conventreja urbs Angliæ ſub metropoli Cantuarienſi, ubi olim ab Egelnotho depoſitum os brachii sancti Auguſtini, poſtea ad Abbatiam Glaſtonienſem translatum 45. 88.
Cordemojus Abbas ſcribit de Reliquiis Sanctorum 52. 55.
Corporalia sancti Petri & Apoſtolorum 80.
Corpus sancti Auguſtini. *Vide* Auguſtinus.
Coſſartius Gabriel 85.
Couſtantius Petrus 9.
Craticula sancti Laurentii 79.
Creſcentius Romæ Tyrannus 35.
Curia pro eccleſia Romana 25. 26.
Cutberthi sancti corpus quomodo tumulatum 60.
Cyrillus Hieroſolymitanus 80. 81.

D

Damianus Petrus 45.
Diabolus temere interrogatus de loco ſepulturæ sancti Auguſtini 100. 106.
Diaconus Paullus 18. 35.
Didacus, miraculum olei ex ejus lampade ſumti 71.
Diptychon conſulare Boethii 41.
Diſciplina vetus in condendis Sanctorum Reliquiis 27. 28. 29.
Ditmarus 86.
Dodſvvorthius Rogerus 88.

E

Edmundus Cantuarienſis in theca aurea repoſitus 54.
Eccardus Johannes Georgius 64. 86.
Eccleſiarum portæ non omnes ad orientem verſæ 36.
Eccleſia sancti Petri in Cœlo aureo a Rege Liutprando conſtructa 9. ſervat corpus sancti Auguſtini 35. ejus ſitus 36. a Canonicis regularibus & Eremitis Auguſtinianis culta 36. dicta sancti *Auguſtini* 96. ejuſdem nominis alia Florentiæ XVIII.
Egelnothus Cantuarienſis Primas habuit os lævæ ſcapulæ sancti Auguſtini 45. Ticini a Benedicto VIII. 52. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88.
Elgaita conjux Roberti Guiſcardi extra baſilicam Vaticanam ſepulta 50.
Eligii corpus in theca aurea repoſitus 53.
Elnonenſe chronicon 14.
Eremitæ Auguſtiniani in Baſilicam sancti Petri in Cœlo aureo introducti 62. 63. 93. concordiam ineunt cum Canonicis regularibus 96. ſervant corpus sancti Augu-

guſtini 94. 97. decretum capitulare condunt de lampadibus ad corpus ſancti Auguſtini accendendis 99. *Vide* Benedictus XII. Bonifacius IX. Johannes XXII. Urbanus VIII.

Everardus ſanctus, Dux Fori-Julii in theca argentea repoſitus 52.

Eugenius Carthaginienſis Epiſcopus bis relegatus 7.

Euthymius in theca argentea repoſitus 54.

F

Fabrettus Raphael 110.

Felix martyr Aquilejenſis in theca argentea repoſitus 53.

Ferrandus Diaconus an auctor vitæ ſancti Fulgentii 3.

Ferrandus Johannes 29.

Fleetvvoodus Guillelmus 18.

Florentinius Franciſcus Maria 23.

Fortunatus Venantius 51. 70.

Friſonariæ congregatio Canonicorum regularium 36. *V.* Canonici regulares.

Frodoardus 76.

Fulgentius Ruſpenſis bis in Sardiniam relegatus 3. 7.

G

Galeſinius Petrus 23.

Gallorum metus a Jo. Imperatorio & Gabriele Pennotto confictus contra verum Auguſtini conditorium 32. 33.

Gallus ſanctus, quomodo tumulatus 58.

Genſericus Rex Vandalorum in Africa 2. 3.

Genſo pater Guntamundi Regis 3.

Georgius martyr, miraculum olei ex ejus lucerna ſumti 71.

Germanenſe Chronicon 14.

Gervaſii & Protaſii corpora ubi reperta, & poſtea recondita 28.

Gervaſius Cantuarienſis 30.

Glaſtonienſe monaſterium 45. 88.

Glebæ cur dictæ Reliquiæ Sanctorum 28.

Gonzaga Aloyſius, miraculum olei ex ejus lampade ſumti 71.

Gothi & Langobardi ceterique Chriſtiani ubi ſepulti 48. 49.

Grandius Guido Abbas Camaldulenſis 87.

Gratianus Novarienſis Epiſcopus 18.

Gregorius Magnus, ejus diſciplina in probandis Sanctorum Reliquiis xv. mittit phialas olei ad Theodelindam Reginam 69. 72. 73.

Gregorius Turonenſis 70. 76. 77. 80.

Gregorius V. Concilium habet in baſilica ſancti Petri in Cœlo aureo 35.

Gregorius IX. transfert caput congregationis Mortarienſium ad cœnobium ſancti Petri in Cœlo aureo 91.

Gregorius XIII. vetat, inquiri corpus ſancti Auguſtini 99.

Gretſerus Jacobus 23. 49.

Guidonis Bernardus 22.

Guntamundus Rex Africæ 3.

H

Hahnius Simon Fridericus 56.

Hariulfus Centulenſis 53.

Helinandus Ciſtercienſis 11.

Henricus Baucenenſis confeſſor, ejus ſanguis 66.

Henricus I. Imp. interfuit Concilio Ticinenſi 85. 86. 87.

Henſchenius Godefridus 17.

Herbipolenſe chronicon 14.

Hermagoræ caput in theca argentea repoſitum 54.

Hermannus Tornacenſis 75.

Herrera Thomas 33. 46.

Hilarius Pictavenſis, ejus codex Vaticanus 8. ejus Reliquiæ, ut Auguſtinianæ, recognitæ 46.

Hildericus Rex Vandalorum in Africa, optimus 3.

Honor debitus corpori ſancti Auguſti-

guſtini explicatur 27. 28.
Honorius a ſancta Maria Carmelita regulas dat pro Reliquiis, quæ ſancti Auguſtini corpori aptantur 104.
Honorius III. teſtimonium perhibet de Auguſtini corpore 90. 91.
Hormiſda Pontifex quas Reliquias miſerit ad Juſtinianum 78.
Huetius Petrus Daniel XVI.
Hugo Epiſcopus Oſtienſis 90.
Hugo Floriacenſis 11.

I

JAnningus Conradus XVIII.
Ignis cœlitus ad ſancti ſepulcri lampades immiſſus ſabbato ſancto 22. 23.
Ilicinus mons 46.
Imperatorius Johannes fabularum auctor de conditorio ſancti Auguſtini 30. 38. 100. 103.
Infantinus Julius Cæſar 81.
Innocentius II. teſtimonium perhibet de Auguſtini corpore 89.
Inſcriptio ſarcophagi ſancti Auguſtini 39. 40. 41.
Johannes XVI. Antipapa 35.
Johannes XXII. locum indicat, ubi tumulatus Auguſtinus in confeſſione Ticinenſi 64. memorat corpus ſancti Auguſtini ſolemniter tumulatum 93.
Iſidorus Hiſpalenſis 5.
Julius II. memorat corpus ſancti Auguſtini 95.
Juretus Franciſcus 8.

K

KAſulæ urbs Byzacenæ provinciæ 8.

L

LAbbeus Philippus 5.
Lambertinus Proſper 102.
Lampas perpetuo ardens ante corpus ſancti Auguſtini 37.
Landrianus Glycerius 100. 106.
Lateranenſes Canonici regulares in baſilicam ſancti Petri in Cœlo aureo introducti 95. eorum Bullarium, *ibidem*, & 93. 94. fatentur corpus Auguſtini adeſſe in Confeſſione 95. 96. 98. eorum concordia cum Cardinali Riario, confirmata a Leone X. 97. *V.* Canonici. *V.* Mortarienſes.
Leibnitius Godefridus Guillelmus 14. 86. 87.
Leo Iſauricus Imperator 10. 12. 13. 14.
Leo X. locum deſignat, in quo jacet corpus ſancti Auguſtini 22. 97. 98. 99.
Lequienius Michael 4.
Liutprandus Cremonenſis Epiſcopus 7.
Liutprandus Rex Langobardorum redimit a Saracenis corpus ſancti Auguſtini, quod Genuam, Dertonem & Ticinum perducendum curat 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. ejus diploma fictum 35.
Livingus Cantuarienſis Primas 82.
Lupus Chriſtianus 67.
Lupus Servatus 22.

M

MAbillonius Johannes 8. 13. 17. 28. 33. 36. 37. 69. 76. 83. 84. pro Auguſtini Reliquiis 36. 37. 105.
Malmesburienſis Guillelmus explicatus 52. 83. 84. 85.
Malvaſia Carolus Cæſar 110.
Marchiones ante ſæculum IX. nuſquam memorati 35.
Marshamus Johannes 88.
Martenius Edmundus 14. 54.
Martinus ſanctus, ejus diſciplina in probandis Reliquiis Sanctorum XV. ejus olei miraculum 70. 71.
Martyrum corpora ubi collocata 27.
Maurolycus Franciſcus 23.
Maurus Rabanus 23.
Mauſolea ſupra Reliquias Sanctorum 57. lateritium ſupra arcam corporis ſancti Auguſtini 38. 39.
cum

cum inſcriptione nominis Auguſtini, *ibidem*.
Maximianus Ravennas juxta altare ſepultus 61.
Mediobarbus Franciſcus 110.
Metellus Hugo Canonicus regularis 33. 34.
Metus Gallorum contra corpus sancti Auguſtini confictus. *Vide* Gallorum.
Milites Chriſti, ideſt martyres 8.
Miracula quædam, *conſueta* dicta 22. 23.
Miræus Aubertus 15.
Modoetia opidum Inſubrum 69. 73. 80.
Montefalconius Bernardus 12. 30. 40. 58.
Moraſcus Johannes Auguſtinus, notarius Ticinenſis, deſignat locum ſepulcri sancti Auguſtini 96.
Morigius Bonincontrus 69. 72.
Mortarienſes Canonici regulares 36. in monaſterium sancti Petri in Cœlo aureo translati 90. 91.
Mullerus Philippus XVIII.

N

NAtalis Petrus 22.
Neuſtria Italiæ 86.
Nicetius sanctus, ejus olei miraculum 70.
Norbertus sanctus, vera ejus corporis translatio perperam impugnata XVII.
Noris Henricus Cardinalis 3. 4. 33. 38. 111.
Notkerus 23.
Numidia Africæ provincia, unde epiſcopi in Sardiniam relegati 4. 5. 6.

O

OCcidentalis regio Italiæ, alias *Neuſtria* 86.
Oldrada familia 17.
Oleum ex phialis, ab eo diverſum, quod ex lampadibus ſumtum 69. 70. Sanctorum corporibus admotum & pro Reliquiis habitum 67. 70. 72. 73. oleum sanctæ Walpurgis 23.
Oſtienſis Leo 73. 88.
Otto Friſingenſis 13.

P

PActiis Maria Magdalena de, miraculum olei, ex ejus lampade ſumti 71.
Pagius Antonius 6. 11. 13. 18.
Palladius Henricus 81.
Papebrochius Daniel 35.
Papia, alterum Ticini nomen, unde ortum 109.
Papienſis Jacobus Cardinalis memorat ſepulcrum sancti Auguſtini 94.
Paſchalis II. teſtimonium perhibet de Auguſtini corpore honorifice condito 89.
Patrocinia, ideſt Reliquiæ Sanctorum 8. 45.
Patronis eccleſiarum, thecæ argenteæ dicatæ 52.
Paulinus Petrocorius 8. 68.
Paullus Diaconus 5. 9. 10. 11.
Pennottus Gabriel 33. 38. 89. 91. 93. 97.
Petavius Dionyſius 26.
Petrus Mediolanenſis Archiepiſcopus deſcribit translationes corporis sancti Auguſtini 16. falſo *Oldradus* cognominatus 17.
Petrus Ticinenſis Epiſcopus 18.
Phialæ vitreæ cum Reliquiis sancti Auguſtini repertæ 65. olim oleo plenæ 66. 67. 68. 69. 70.
Plumbeus loculus in arca argentea oſſium sancti Auguſtini 43. 44.
Pontifices de Auguſtini corpore teſtimonium ferentes 88. 89.
Procopius 6.
Prudentius 52.
Puricellus Petrus Johannes 17.
Puteus in confeſſione ædis sancti Petri in Cœlo aureo juxta corpus san-

ſancti Auguſtini 21. 22. nominatus in Chronico Stroziano 21. a Vincentio Bellovacenſi 22. a Bernardo Guidonis 22. a Leone X. Pont. Max. *97. 98.*

Q

Quintinus martyr in theca aurea repoſitus 52.

R

Raguſii in Dalmatia Reliquiæ ſancti Auguſtini *46.* 120.
Ravano a Carceribus, familia Veronenſis 22.
Raynaldi Odorici error *91.*
Recenſio oſſium ſancti Auguſtini 44.
Regino 50.
Reicherſpergenſis Anonymus 11.
Reineldis Virgo in theca pretioſa repoſita 53.
Reliquiæ Sanctorum in Confeſſione ſub ara maxima 55. non tangendæ *67. 73.* earum veritas quomodo explorata 104.
Riarius Cardinalis Raphael memorat corpus ſancti Auguſtini *95. 96. 97. 98.*
Ripamontius Joſephus *16.* 28.
Rivius Johannes *16.*
Robertus Abbas ſanctus juxta altare ſepultus *61.*
Rodobaldus Ticinenſis Epiſcopus deſignat locum, ubi jacet corpus ſancti Auguſtini *92.* *V.* Baſtonus.
Romualdus Salernitanus 11.
Romualdus ſanctus 45.
Roſvveydus Heribertus *29.*
Rotrudis Virgo juxta altare ſepulta *61.*
Rubeus Hippolytus Ticinenſis Epiſcopus *99.* 100.
Ruinartus Theodericus 5. *9.* 13. *76.*
Rumoldus ſanctus in theca argentea repoſitus 54.
Ruſpæ civitas Byzacenæ 4.

S

Sabatinus Joſephus 33. 105.
Salvatoris imago in arca argentea ſancti Auguſtini 43.
Sanctorum corpora in Confeſſione juxta altare ſepulta *61.*
Sanctuaria, ideſt Reliquiæ *79.*
Sanguis Sanctorum etiam non martyrum *66.*
Saraceni, Hiſpania occupata, Sardiniam vaſtant *9.*
Sarcophagus Reliquiarum Auguſtini 42.
Saviniarienſe prædium in agro Dertonenſi 18. 20.
Saxo Anonymus 13. 14.
Saxones Annales *86. 87.*
Sbrojavacca Rudolfus impetrat corpus ſancti Norberti a Senatu Magdeburgenſi XVII.
Scaliger Joſephus 2. *3.* 5.
Scioppius Caſpar 84.
Schombergius Nicolaus Cardinalis extra eccleſiam Minervæ ſepultus 50.
Scotus Marianus 11.
Seguinus Petrus *3.*
Seldenus Johannes *30.*
Sergius martyr in theca argentea repoſitus 54.
Severanus Johannes 51.
Sicardus Cremonenſis 11.
Sigebertus Gemblacenſis 11. 15.
Sigonius Carolus 15.
Sollerius Johannes Baptiſta *87.*
Strabo Walafridus 58.
Stroza Forani Princeps, ejus codex Chronici Altiſſiodorenſis 12. 14. 15. 19. 20. convenit cum Petro Mediolanenſi, Bernardo Guidonis, Vincentio Bellovacenſi & Petro de Natalibus in translatione corporis ſancti Auguſtini 20. 21. 22. pertinuit ad familiam Veronenſem de Ravano a Carceribus 22.
Sudarium. *Vide* Velum.
Symmachus Pontifex Sardus pecunias

nias & veſtes mittit ad Africanos epiſcopos in Sardiniam relegatos 7. etiam Reliquias Sanctorum 8.

T

Talentum 84. 85.
Taurellus Aloyſius 33. 46.
Thecæ argenteæ honor, Auguſtiniano corpori & Patronis eccleſiarum exhibitus 51. 52. 53. 54.
Theologi teſtimonium dantes pro corpore ſancti Auguſtini 107.
Thiadildis Virgo 23.
Thomas Aquinas. *Vide* Aquinas.
Ticinenſe Concilium a Benedicto VIII. celebratum 85.
Ticinenſis Auguſtinus, Canonicus regularis indicat locum ſepulcralem ſancti Auguſtini 95. 98.
Ticinum cur *Papia* dictum 109. 110.
Tillemontius Sebaſtianus 4. 6.
Totilæ Regis Gothorum nummus 110.
Toutteeus Antonius Auguſtinus 80. 81.
Traſamundus Rex Vandalorum Africanam eccleſiam perſequitur 4. 5. 6.

V

Vandali in Africam irruunt 1. 2. Hipponem occupant 2. eorum Reges 3. 4. 5. 6.
Velum cum Reliquiis Auguſtini repertum 43. 76. 77. 78. 79. 80. 81.
Vela Sanctorum Reliquiis admota 78. ad Juſtinianum miſſa ab Hormiſda Pontifice 78. 79. 80. in variis eccleſiis ſervata 80. 81.
Ughellus Ferdinandus 17.
Victor Tunnonenſis 5. 27.
Vicus Johannes 45.
Viterbienſis Godefridus 5.
Urbanus VIII. teſtimonium dat pro tumulo corporis ſancti Auguſtini 105.
Urſini ſancti corpus quomodo tumulatum 60.
Uſuardus martyrologus 23.
Vulcanius Bonaventura 5.
Wandelbertus martyrologus 23.
Whartonus Henricus 82.
Wigbertus ſanctus in theca aurea & argentea repoſitus 52. Reliquiæ ejuſdem Sancti immobiles conſtiterunt 22.

X

Xyſtus V. Sanctorum canoni adſcribit beatum Didacum 71. decernit, epiſcopos rationem ſuarum eccleſiarum Pontifici reddituros 101.

Z

Zacharias Pontifex miſſarum ſolemnia celebrat in baſilica ſancti Petri in Cœlo aureo 35.
Zianus Petrus Dux Venetorum 22.
Zucchius Bartholomæus 69. 72.

FINIS

Paucula addenda.

Pag. lin.
3. 11. *lege*, 497.
20. 12. *lege*, Iidem
33. 24. *lege*, Sabatinus
34. 14.) 36. 11.) *lege*, 1221.
46. 17. *lege*, alibi dicam
— 18. *poſt*, audivimus, *adde*. Sed Reipublicæ Raguſinæ teſtes literæ, dum hæc abſolvuntur, ad ſummum Pontificem BENEDICTUM XIII. perlatæ, dieque XIX. elapſi menſis Februarii hujus anni 1728. ſcriptæ, quibus conſonant aliæ capituli Metropolitanæ eccleſiæ, nos docent, in ejuſdem Reipublicæ ſacrarum Reliquiarum theſauro *primam* tantum Auguſtiniani capitis *vertebram*, ſeu *ſpinam*, quæ *Atlas* dicitur, in theca argentea ſervari cum hac epigraphe uncialibus literis: *Spina ſancti Auguſtini doctoris*. Idem teſtatur vetus ſcheda membranea ſacro pignori intus adfixa, & codex catalogi Reliquiarum A. D. 1305. exaratus.
Pag. 62. *lin.* 13.) —— 21.) *lege*, 1400.
Pag. 104. *lin.* 24. *lege*, putandum

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 073261858